gelicæ sacrificium, quo Christus immaculata Hostia, omnipotenti Deo offertur, incruento quidem, sed vero tamen modo, ab iis solum, qui speciali ad id inunctione consecrantur.

Potestatem de doctrina judicandi singulis fidelibus vendicat, eo Christi D. verbo nixus, quo singulis præcipit *Matth. 7. ut attendant a falsis Prophetis*; aliisque passim Scripturarum oraculis, quibus privatum spiritum unicuique sufficere ad veritates fidei dijudicandas, probare solent nostrorum temporum Sectarii. Verum tametsi unusquisque a falsis Prophetis cavere debeat, non illico doctrinæ judex & arbiter est: ea quippe cautela a privata prudentia proficiscitur, doctrinæ vero judicium publica duntaxat auctoritate ferri potest. Quare tametsi fateremur, cuique privato Dei spiritum assistere, ut semetipsum privatim regat, noritque quid credere, quid tenere ex Religione debeat, (quod præsentis instituti non est) nec dum propterea consequens foret, ut ex officio de Doctrina judicium ferre posset, quo pacto Sacerdotes id possunt. Hoc enim privati esset hominis, istud publici, & auctoritate præcellentis. Ecquid vero tam insulsum, quam ut quoslibet homines baptismate tinctos, sutores, tabernarios, Caprimulgos, cæterosque vix media animæ parte utentes, Doctrinæ judices habeamus?

Potestatem orandi pro populo singulis adjudicat Lutherus, quod oratio Dominica communis sit, omnesque pro nobis invicem orare jubeamur. Sed & id ludicrum est. Aliud quippe est, privatim ex officio charitatis pro fratribus orationes fundere, aliud publicum in Ecclesia sequestrum agere, publicas orationes e loco sacro recitare, supplicationes populi, uti publicum advocatum decet, Deo offerre: quod Sacerdotum singulare munus est.

Consecrandi demum potestatem universis fidelibus asserit, eo Christi Domini fretus Oraculo *Lucæ 22. Hoc facite in meam commemorationem*: quo consecrandæ Eucharistiæ potestas a Christo D. facta est. Infeliciter tamen in probationem Lutherus ingreditur; neque enim ad singulos fideles verba hæc diriguntur, sed ad solos Apostolos, qui Christo tunc commensales aderant.

Restat concionandi munus, de quo speciatim ac paulo fusius Lutherus agit, ut & illud singulis Christianis, ac ipsis etiam mulieribus vindicet. Quocirca illud in primis, 1. *ad Cor. 14. v. 26. v. 31.* venditat: *Unusquisque vestrum psalmum habet, linguam habet, Doctrinam habet, Apocalypsim habet . . . Potestis omnes per singulos prophetare*. Sed aberrat profecto toto Cœlo novus Ecclesiæ Reformator; non enim singulos fideles Paulus alloquitur, quasi illorum quilibet iis donis abundet, quæ eo loci recensentur. Siquidem & in eadem Epistola *Cap. 12.* divisiones gratiarum illarum esse docet Apostolus, nec omnes omnibus convenire; sed singulas singulis, prout eas Spiritus S. largitus est: Monetque ut qui illarum aliqua præditi sunt, ea ad Ecclesiæ utilitatem religiose utantur. Alias consequens esset, ut & omnes fideles prophetarent, cum & Apostolus dicat, *potestis omnes per singulos prophetare*: quod nemo non videt esse falsissimum. Quamquam & id observare operæ pretium est, in illis nascentis Ecclesiæ primordiis, Spiritum S. donis etiam sensibilibus in fideles effundi, solitum fuisse, quod minus in præsentia contingit: atque ita præpostere ad singulos nostrorum temporum fideles detorquentur, quæ de primis illis Religionis Christianæ Professoribus referuntur.

Jam quod attinet ad Mulieres, quas perinde, ex Sacri baptismatis initiatione, Sacerdotes esse, omniumque Sacramentorum administrandorum capaces Lutherus existimat, unum est, quod ex Sacris Litteris, in eorum gratiam possit extundi: Celebratum scilicet illud Apostoli dictum, *ad Gal. 3. In Christo Jesu neque mas est, neque fœmina*: Quo olim Quintiliani & Pepuzeni abutebantur, ut promiscue & indiscriminatim mares, & fœminas, in Episcopos & Sacerdotes inungerent. Verum qui sequentia Apostoli verba legerit, facile deprehendet, non de sacris Ministeriis in Ecclesia obeundis, Apostolum agere, quasi in iis nulla sit observanda distinctio Sexuum; sed agere de vocatione ad fidem, deque spirituali adoptione in filios Dei; qua in re nulla profecto est Sexuum prærogativa. Unde ait Apostolus, *In Christo Jesu neque mas est, neque fœmina; omnes enim filii Dei estis, per fidem, quæ est in Christo Jesu*.

Huic insulso ineptoque Lutheranorum errori de mulieribus Sacrorum ministeriorum ordinumque capacibus favere potius videretur, quod in antiquis Ecclesiæ Canonibus legimus; maxime vero Concilii Turonensis II. *Can. 12. & 13.* Concilii Antisiodorensis *Can. 20. & 21.* Concilii Romani sub Gregorio II. *Can. 1.* & alterius Romani sub Zacharia *Can. 5.* ubi tam sæpe Mulieres Episcopæ, & Presbyteræ nominantur: id inquam errori Lutherano favere videretur, nisi viris eruditis exploratum esset, Mulieres illas ita dictas esse Episcopas, & Presbyteras, non ab Officio ac Ministerio, quod obirent; Sed a viris suis, qui ad Episcopatum, vel Presbyteratum promoti fuerant; a quibus non amplius uxorum loco, sed sororum habebantur, perpetuæ continentiæ lege ipsis posita.

Difficilius fortasse fuerit emollire, quod de mulieribus Diaconissis legimus: Nedum enim earum mentio in antiquis Canonibus interdum occurrit; verum etiam Diaconissarum ordinationis meminere Tertullianus *lib. ad Uxor. Cap. 7.* Concilium Chalcedonense *Can. 15.* Concilium Trullanum *Can. 14.* Justinianus Imperator sæpius in Novellis: Unde quispiam fortassis erueret, mulieres non secus ac viros posse sacris ordinibus initiari. Verum ea Diaconissarum ordinatio, seu manuum impositio iis fieri solita, Sacramentalis non erat, sed nuda cæremonia, quemadmodum & hodie Abbatissarum benedictio. Nec illæ Diaconissæ Altaris Sacrificio ministrabant, nec sacra vasa tractabant, nec Evangelium recitabant, nec Dei verbum ex suggestu prædicare fas illis erat; aliudve munus obire, quod esset Diaconorum proprium: Sed ea duntaxat pietatis officia Mulieribus præstabant, quæ Diaconi viris. Viduarum scilicet ac virginum Pauperum curam agebant; Mulieribus adultis baptismum suscepturis, dum ad immersionem nudabantur, officiis aderant; Mulierum confessum in Ecclesia ordinabant, aliaque id genus officia peragebant, quæ ex Sacro Caractere minime pendeant. Imo cum nono vertente Sæculo ea in quibusdam Galliæ locis corruptela inolevisset, ut Mulieres illæ Diaconissæ ad altaria impudenter irrumperent, & Sacram Eucharistiam populis ministrarent; quemadmodum tunc Viri Diaconi ministrare solebant: hunc abusum Synodus Parisiensis anno 829. celebrata repressit & emendavit. *Lib. 1. Cap. 45.* Uti & Synodus Rhemensis eadem ætate celebrata abusum alterum emendavit, quo Presbyteri in obeundo ministerio suo negligentissimi, Sacram Eucharistiam ad infirmos deferendam Diaconissis hujusmodi committebant. Cujus Synodi decretum extat *Cap. pervenit: dist. 2. de Consecratione*.

Clamat Lutherus mulierum advocatus, Sororem Moysis prophetasse *Exod. 15.* Deboram Israelem judicasse, *Judic. 4.* Philippo Diacono quatuor fuisse filias virgines prophetantes, *Actor. 27.* Sit ita porro; quid ergo? Singularia hæc dona fuere, quæ nihil tamen cum Sacerdotio commune habent. Prophetavit David, prophetavit Elias, prophetaverunt Elizeus, Daniel, Isaias, & alii, qui nequidem e levitica tribu erant, ut Sacerdotio fungi possent. Non itaque ex Prophetiæ dono nonnullis Mulieribus concesso, Sacerdotii dignitas colligi potest.

Superest hic videamus num mulieres, quas incapaces ostendimus Sacrorum Ministeriorum, & ordinum, capaces saltem sint Sacræ jurisdictionis exercendæ?

Cum Jurisdictio nihil aliud sit, quam potestas jus dicendi seu judicandi in caussa Sacra, duplex jurisdictio distinguenda est; altera quidem Canonica, & Ecclesiastica, qua scilicet judicatur in Caussis Ecclesiasticis ad ordinem hierarchicum spectantibus: Altera mere Monastica, qua judicatur in caussis pure Monasticis, & ad disciplinam regularem spectantibus. Posterioris istius capaces omnino sunt Mulieres, non prioris.

Patet hoc, examplo Abbatissarum nonnullarum, maxime vero generalis Archimandritæ ordinis Fontebraldensis, cui cum obedientiam voveant tam Monachi illius ordinis quam Moniales, ipsa vicissim in omnes jurisdictionem Monasticam exercet, iisque jus dicit in caussis ad disciplinam regularem atque Monasticam spectantibus. Non item in aliis ad ordinem hierarchicum pertinentibus. Nec enim in subditos qualescumque suos, seu viros seu fœminas, sententias ferre potest excommunicationis, aut suspensionis, aut interdicti, aliasve Canonicas Sententias pronunciare. Quemadmodum contingit in aliis nonnullis virorum religiosorum institutis, in quibus superiores, præpositi, priores, guardiani laici quandoque sunt.

In contrarium tamen videtur esse, quod in laudato ordine Fontebraldensi, Prioryssæ ex indulto Paschalis II. facultatem habeant, approbandi, ad confessiones suarum monialium excipiendas, quemcumque Sacerdotem extraneum, ab Ordinario illius Diœcesis minime approbatum; modo tamen in quadam alia Christiani orbis Diœcesi fuerit approbatus. Porro approbare quempiam ad confessiones, actus est Jurisdictionis Ecclesiasticæ. Possunt ergo (inquiet aliquis) Mulieres Jurisdictionem Ecclesiasticam exercere.

Respondeo; iis in Casibus Prioryssam non approbare ad Confessiones Monialium excipiendas extraneum illum Sacerdotum, sed Paschalem II. eum approbasse qui a Prioryssa delectus designatusque esset in posterum. Adeo ut a Prioryssa fiat designatio personæ, & ab Apostolica Sede facta sit approbatio, dataque absolvendi facultas.

DISPUTATIO SECUNDA.

De Sacramentis in particulari.

PRÆLECTIO I.

Baptisma quid sit exponitur; Aquam veram ac naturalem necessariam solamque baptismatis materiam esse, demonstratur.

EXoluta de Sacramentis in universum, seu ut Schola loquitur de Sacramentis in genere, prolixiori tractatione, de iisdem speciatim dicendum venit. In quo quidem pertractando argumento occurrit primo in limine baptismatis Sacramentum, quod cæterorum omnium januam Ecclesia passim appellat, sine quo jus nullum ad cætera suscipienda hominibus esse potest.

Immensus sim, si quot quantisque titulis a Patribus insignitur, productis illorum oraculis, recensere velim. Ut enim vulgare baptismi nomen omittam, quod immersionem, & ablutionem latine sonat, uti plus satis omnibus notum: Illuminationis, & fidei Sacramentum sæpius a Patribus dicitur, quod in eo fides uti cœleste lumen animis infundatur: Sacramentum regenerationis, quod ejus ope ex aqua & Spiritu S. renascamur in Christo quotquot iræ Filii nati sumus: Sacramentum invocationis, quia novam ex eo vitam inimus: Sacramentum expurgationis, quia vetus in eo fermentum expurgamus, ut simus nova consperso: Sacramentum sepulturæ & mortis Christi, quia Salvatoris nostri mortem ac sepulturam repræsentat: Quin etiam Circumcisionis Sacramentum a D. Chrysostomo non semel nuncupatum est, Apostoli phrasim usurpante ad Colos. II. *in quo & circumcisi estis circumcisione non manu facta, in expoliatione Corporis carnis, sed in circumcisione Christi consepulti & in baptismo*.

Baptismi Naturam brevi definitione complexus est Doctor Angelicus, quam & cæteri pene omnes Scholæ Magistri suis usibus consecrarunt: *Baptismus est ablutio corporis exterior sub præscripta forma verborum, ad internam animæ mundationem*.

Quin Sacramenti a Christo D. instituti titulo gaudeat, a nemine quod sciam vocatur in Controversiam: quare de illius partibus nobis est disputandum: ac primo de materia, de qua nonnulla ab Hæreticis mota lis est, in præsentia dicemus: Tum de forma in sequentibus lectionibus prolixius disputabimus.

Aquam uti materiam in baptismate conferendo nequaquam adhibendam esse, quondam alias fabulati sunt Manichæi, teste D. Augustino *libro de Hæresibus Cap. 46.* Quid tamen aquæ vice adhiberent, nuspiam proditum est. Horum error ex capitali altero errore derivabatur: Cum enim aquam cæterasque creaturas corporeas, non a Deo sed a Diabolo precreatas sibi fingerent Manichæi, consequens profecto erat, ut aquam Sanctificandæ animæ instrumentum esse non posse contenderent. Manichæis paulo verecundiores extitere Marcionitæ, qui etsi creaturas corporeas, atque adeo aquam ipsam a malo genio procreatam effutirent, aquam tamen in baptismo, ob expressum Christi præceptum adhibebant; liquet id ex Theodoreto *lib. 1. hæreticarum fabularum*, ubi delirum senem Marcionitam se vidisse ait, aquam ultro in conferendo baptismate usurpantem, quamquam eam uti Sathanæ opus, usque adeo execraretur, ut suo ipsius sputo potius, quam aqua faciem ablueret.

Manichæorum, & Marcionitarum errori successit Seleucianorum delirium, quibus baptisma non aqua, sed igne conferre libuit. Fidem rei faciunt Philastrius & Augustinus *lib. de Hæresibus Cap. 59.* Quo pacto autem quave arte Baptismus igneus conferretur ab eis, satis nescio; nisi quod apud

apud Bernardum Lutzburgenſem in Catalogo Hæreticorum legiſſe memini, Jacobitas, qui Seleucianorum propago erant, baptiſma ſine aqua conferre ſolitos eſſe, ſed Chriſti Cruce candenti ferro frontibus impreſſa. Erroris ſui præſidium ex Evangelio accerſebant deliri homines, *Matthæi*, *Lucæ* 3. *Joannis*, *& Marci* 1. Ubi quoties Joannis Baptiſmus cum Chriſto Baptiſmo confertur; hoc inter utrumque diſcrimen ponitur, quod Joannes quidem baptizaret aqua, Chriſtus vero in Spiritu S. & igne: hincque ignei baptiſmatis conferendi anſam arripuerunt. Non obſervabant ſcilicet imprudentes, id de baptiſmi Chriſti materia nequaquam intelligendum eſſe, ſed verius de intimo illius effectu: quod nimirum Joannis baptiſma nihil internæ ſanctificationis, ſed externam duntaxat aquæ effuſionem præſeferret; Chriſti vero baptiſma intimam Spiritus Sancti divinique amoris effuſionem largiretur. Imo ut verius dicam, de ipſo baptiſmatis Sacramento, a Chriſto inſtituendo, iis in locis ſermo non eſt; ubi Chriſtus in Spiritu S. & Igne baptizaturus dicitur, ſed de miraculo quod Chriſtus die Penteco-ſtes operaturus erat, Spiritum S. in Apoſtolos ſub ignis ſpecie mittendo; ea etenim Spiritus S. effuſio, baptiſmatis nomine inſignitur, *Actor.* 1. & Joannis baptiſmati contraponitur: *Joannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu S. non poſt multos hos dies*, alludendo nimirum ad Spiritus S. effuſionem, quæ Sacro die Pentecoſtes obventura erat.

Antiquis erroribus de hujuſce Sacramenti materia, quoquo pacto ſubſcripſiſſe viſus eſt Martinus Lutherus. Quamquam enim is aquam baptiſmatis elementum ultro norit, illudque Sacramentum eadem nobiſcum materia, & forma miniſtrent gregales ejus; alio tamen elemento conferri valide poſſe propugnavit, ſi quando præſto non eſſet aqua. A nonnullis enim Synagogæ ſuæ Miniſtris Sententiam rogatus, num ubi non eſt aquæ copia, lacte ſaltem aut Cerviſia baptiſmum conferendum fas eſſet, reſpondit primo ſubdubitando, totum id divino judicio eſſe committendum: tum urgentibus Diſcipulis ut Sententiam diceret, reſpondit, Capta fiducia, licere plane: quin & addidit, liquorem omnem ex quo poteſt balneum confici, ad baptiſmatis elementum aſſumi poſſe. Ita plane retulit Lutherus ipſe, *in Sympoſiacis colloquiis Cap.* 17.

Nos e regione poſiti, cum Eccleſia Catholica pronunciamus, Aquam veram ac naturalem, neceſſariam ſolamque baptiſmatis materiam eſſe. Ita nos Chriſti Domini inſtitutio docet *Joann.* 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. non poteſt introire in Regnum Dei*. Ita Apoſtolorum exempla docent, qui quoties baptizaſſe, toties aquam uſurpaſſe perhibentur: *Actorum* 10. ubi Cornelii Centurionis baptiſmus deſcribitur, *Numquid aquam*, inquit Petrus, *quis prohibere poteſt, ut non baptizentur hi qui Spiritum S. acceperunt ſicut & nos? & juſſit eos baptizari in Nomine Domini Jeſu Chriſti*. Actorum 8. ubi baptizatus, fertur, Eunuchus Reginæ Candacis a Philippo, *Dum irent per viam venerunt ad quamdam aquam: Et ait Eunuchus: ecce aqua, quis prohibet me baptizari?* Hinc Apoſtolus *ad Epheſ.* 21. *Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſe ipſum tradidit pro ea, ut illam ſanctificaret, mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ*.

Suffragatur unanimis Patrum Traditio, quorum teſtimonia minutatim percenſere, otioſi eſſet Commentaris: Id tamen certo pronunciare auſim, neminem vel unum inventum eſſe, qui aliud quidquam ab aqua, uti baptiſmatis elementum indigitarit. Legantur ſi per otium licet S. Juſtinus *Apologia* 2. (*a*) Tertullianus *lib. de Bapt.* Cyprianus *lib.* 3. *teſtimoniorum ad Quirin. Cap.* 25. Ambroſius *lib.* 3. *de Spir. S. Cap.* 9. Hieronymus *in Cap.* 26. *Ezechielis*, Gregorius uterque Nyſſenus, & Nazianzenus *in Orationibus de Bapt.* Chryſoſtomus, Auguſtinus, Cyrillus Alexandrinus, & quotquot Evangelium Joannis Commentariis illuſtrarunt.

Quorum omnium ſuffragiis nixus Innocentius III. *Cap. non ut, de bapt. & ejus effectibus*, (*b*) conſultus, utrum parvuli pro Chriſtianis habendi, quos in articulo mortis conſtitutos, propter aquæ penuriam, & abſentiam Sacerdotis, aliquorum ſimplicitas, in caput, pectus, ac inter ſcapulas, pro baptiſmo, Salivæ conſperſione linivit, reſpondit, *cum in baptiſmo duo ſemper, videlicet verbum, & elementum neceſſario requirantur, dubitari, non debet, illos verum non habere baptiſmum, in quibus non ſolum utrumque prædictorum, ſed eorum alterum eſt omiſſum, ac perinde non ſunt pro Chriſtianis habendi*.

Frivolum igitur atque inane eſt, quod ex Stephano II. Rom. Pont. objici ſolet: Illum ſcilicet a Monachis Britannici Monaſterii interrogatum, quid de Sacerdote ſentiendum, qui periclitantes pueros aliquos vino baptizaverat propterea quod aquæ copia non eſſet; ita reſpondiſſe, *Cap.* 2. reſcripti. *Si in vino quis propterea quod aquam non inveniebat omnino periclitantes infantes baptizavit, nulla ei exinde adſcribitur culpa. Infantes ſic permaneant in baptiſmo:* (*c*) quaſi dicat, horum infantium baptiſma ratum eſſe. Id inquam frivolum eſt. Primo quia non ſatis authentica hujuſce reſponſi Pontificii monumenta inveniuntur. Secundo quia mendoſus Textus eſt: Nec legendum in eo Pontificio Reſcripto, *Infantes ſic permaneant in Baptiſmo;* quaſi abſoluta locutio eſſet, quæ ratum minimeque iterandum baptiſmum decerneret, ſed conditionata in hunc modum, *nulla Sacerdoti adſcribitur culpa, ſi infantes permaneant in baptiſmo*. Ita quippe probati codices habent. Stephanus ergo R. P. de valore baptiſmi in vino collati interrogatus non erat, quem nemo ſanæ mentis dubitare poterat, irritum eſſe; ſed de culpa duntaxat hominis baptizantis quærebatur, num videlicet aliqua cenſura plectendus eſſet? Hunc porro nulla pœna plectendum eſſe reſpondet Pontifex, quia cum aliud non poſſet, in extremo periculo, id per ſimplicitatem fecit, quod poſtea potuit elapſo periculo emendari; nec ipſe in cauſſa fuit, cur infantes poſtea baptizati aqua non fuerint, quæ ſola baptiſmi materia eſt.

Futilius multo eſſet, ſi quis nobis factum obtruderet, quod olim ſub M. Aurelio Antonino Imp. contigiſſe narrat Nicephorus Callixtus *lib.* 3 *Hiſt. Cap.* 37. (*d*) Judæi cujuſpiam, repentino morbo correpti in ſollitudine, & ad Chriſti fidem momento converſi; qui cum Sacrum baptiſma, a Chriſtianis viatoribus poſtulaſſet, nec adeſſet illic aquæ copia, injecta ter in illum arena vice aquæ, cum SS. Trinitatis invocatione baptizatus eſt: quo ille accepto baptiſmate, de repente priſtinæ ſanitati reſtitutus eſt. Id inquam multo futilius. Nec enim ea Sanitatis teſtitutio, ſuſcepto baptiſmati adſcribenda venit, quaſi ratum illud eſſet validumque; ſed Judæi de repente ad Deum converſi pietati, fidei, Religioni tribuenda eſt. Quandoquidem idem ipſe Nicephorus Callixtus

(a) *Vide Tournelii Edit. Venetæ Anni* 1589. *de Baptiſmo pag.* 12.
(b) *Apud Tournelii Editionis Venetæ pag.* 13.
(c) *Apud Tournelii de Bapt. pag.* 18. *Edit. Venetæ Anni* 1589.
(d) *Apud Tournelii de Baptiſmo pag.* 18. *Editionis Venetæ Anni* 1589.

lixtus diſertiſſime notat, totum id Viatorum illorum Chriſtianorum ſimplicitate factum eſſe; partim ut importunis Judæi votis, in iis rerum anguſtiis utcumque ſatisfacerent, partim quod illis aquæ copia non eſſet, *quam ſolam verum baptiſmatis elementum eſſe non ignorabant*: poſtea verò Dionyſium Alexandrinum Epiſcopum, ad quem delata res eſt, Judæum vero aquæ baptiſmate expiaſſe. Atque hæc de aqua in baptiſmate adhibenda.

Jam quis, in conferendo baptiſmate aquæ uſus eſſe debeat, dicam breviter. Triſariam aqua in baptiſmo adhiberi poteſt: primum, ſi in aquam immergatur baptizandus; ſecundo, ſi aqua deſuper infundatur; tertio, ſi aſpergatur duntaxat: quia & hoc triplici modo quis ablui poteſt. Immerſio primis Eccleſiæ temporibus in uſu erat, quandoque quidem una, quandoque trina. Qui uſus a Synagoga in Eccleſiam tranſiit; quæ enim apud Judæos baptiſmata olim uſurpari ſolita erant, immerſione agebantur. Toto primo vertente Eccleſiæ ſæculo, unica immerſio in uſu fuit: At nato eorum hæreticorum errore, qui non baptizabant: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.*, ſed in commemoratione mortis Chriſti, & una quidem immerſione; idcirco unius immerſionis ritus paulo poſtea ſublatus eſt, non quod per ſeſe malus eſſet, ſed ratione abuſus, trinaque immerſio ex Eccleſiæ præſcripto injuncta eſt, ut ſcilicet ad cujuſque perſonæ Sanctiſſimæ Trinitatis invocationem, baptizandus immergeretur. Quin etiam uſque adeo apud veteres probatus ſacerque fuit ritus ille, ut Tertullianus, Baſilius, Hieronymus, ritum hunc, inter Apoſtolicas traditiones retulerint. Quæ ſane loquendi ratio, niſi paululum temperetur, minus veritate conſtabit. Ecquo enim pacto, Apoſtoli trina immerſione baptizaſſent, cum illorum aliqui 3000. una die, 5000. die altera baptizaſſe referantur; quod in ea temporis anguſtia, non ita commode fieret? Ut plane neceſſe ſit, Patrum illorum phraſim ita emollire, ut trinæ immerſionis uſum Traditionem Apoſtolicam dixerint, quia communi Eccleſiarum uſu frequentabatur: Sic enim Hieronymus monet, unamquemque Eccleſiæ conſuetudinem, uti legem Apoſtolicam excipere oportere. Quamquam ſi trinæ immerſionis uſum, Traditionem Apoſtolicam ſtricto ſenſu vocitaſſent laudati Patres, taliſque re ipſa fuiſſet, nihil obeſſet, quin eam Eccleſia ſucceſſu temporis immutare potuerit. Traditionum ſiquidem Apoſtolicarum duplex genus eſt; Aliæ fidei & moralis Chriſtianæ dogmata ſpectant; aliæ ritus accidentarios, ad ſolam Sacramentorum ſolemnitatem attinentes. Priores Traditiones ad dogmata ſpectantes ab Eccleſia mutari non poſſunt; quod enim Apoſtolorum tempore verum dogma fuit, omni ſecuto tempore verum eſſe oportet. Aliæ Traditiones, ad ritus & Cæremonias attinentes, mutationi obnoxiæ ſunt, quia quæ una ætate, ob certas circumſtantias, opportuna videbantur in ritibus, rebus ſubinde mutatis, minus congrua videri poſſunt.

Immerſioni itaque prioribus ſæculis frequentatæ, ſucceſſit infuſio, publico Eccleſiæ uſu, decimotertio vertente ſæculo duplici de cauſſa. Primo; Quod immerſio ægris hominibus, ac tenellis pueris, noxia eſſe poſſet. Secundo; Quod caſtæ Matronæ, Virgineſque pudore quodam ſuffunderentur, dum eas ad immerſionem, media ſaltem corporis parte nudari, neceſſe erat.

Aſperſionem in baptiſmatis collatione, nuſpiam publico uſu frequentatam legi, ſed certis tantum in caſibus adhibitam. Infirmos lecto decumbentes per aſperſionem baptizari ſolitos legimus apud S. Cyprianum *Epiſt.* 76. *ad Magnum data*, & apud S. Fulgentium *lib. de Baptiſmo Æthiopi moribundi*. Sic baptizati Clinici vocabantur, erantque (ſi convaleſcerent) irregulares, ut patet *ex Canone* 12. *Concilii Neocæſarienſis anni circiter* 314. (*a*) Aſperſionem Petrum Apoſtolorum Principem uſurpaſſe volunt plerique Scripturarum interpretes, dum quinque hominum millia tinxit una die, tria millia die altera expiavit. Quod ut aſſerant, non alia ratione nituntur, quam quod brevi illo temporis ſpatio vix fieri poſſe putent ut tanta hominum multitudo, diſtincta cujuſque immerſione, aut aquæ infuſione tingeretur: Quæ ratio nonnullis aliis minus efficax viſa eſt. Potuit enim Petrus, tria, aut etiam quinque hominum millia, una die baptizare per infuſionem, ac etiam per immerſionem, non quidem ſe ſolo, ſed adhibitis ad id adminiſtris magno numero, uti certe *Actor.* 10. legimus, eum per adminiſtros, Cornelii domum baptizaſſe. Potuit etiam jubere Petrus, ut illi ipſi qui primum fuerant baptizati, cæteros baptizarent. Utcumque tamen ſe res habuerit, nihil intereſt; facti ſiquidem quæſtio eſt, nullius plane momenti: Satiſque ſuperque eſt, ſi dicamus, poſſe etiam baptiſma aſperſione fieri, quia, & aſperſio ablutionis ſpecies eſt: Periculoſa tamen in hominum multitudine: ſi enim aſperſa aqua illorum aliquem non attingeret, aut ſola ipſius indumenta, is certe baptizatus non eſſet.

In ſequenti, de baptiſmatis forma difficilior admodum diſputatio nobis erit.

PRÆLECTIO II.

Baptiſmatis forma ex Doctrina Patrum, & Canonum explicatur; eademque adverſus quorumdam tum veterum, tum recentium Theologorum aberrationes vindicatur.

AMpliſſimum Theologicæ diſputationis campum ingredior. Sacramenti baptiſmatis formam, ex Doctrina Patrum, & Canonum explicandam; eamdemque adverſus quorundam tum veterum, tum recentium aberrationes vindicandam. In quo quidem pertractando argumento, cum rerum dicendarum copia pene obruar, miſſis inanibus futilibuſque proludiis, ad inſtitutum ſtatim accedo.

Geminas in baptiſmatis forma partes præcipuas Theologi de more diſtinguunt: primam, qua baptizantis actus exprimitur, *Ego te baptizo*: Alteram, qua SS. Trinitas invocatur: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.* De prima formæ parte inter viros ſumme Catholicos controverſia fuit, num ea formæ pars ita neceſſario foret a baptizante proferenda, *Ego te baptizo*; ut ſi quis eam omitteret baptizando, irritum evaderet Sacramentum. Fuere quippe qui dicerent, ſatis eſſe, ſi actus baptizantis exerceretur, aquam ſcilicet infundendo, aut puerum in aquam immergendo, tametſi in forma ipſa, nulla illius actus mentio fieret. Ecquid enim, inquiebant illi, neceſſe eſt diſtincta voce pronunciare *Ego te baptizo*, dum re ipſa baptizo? Quandoquidem res ipſa longe melius facto, quam verbo expreſſa eſt. Quare baptiſmum validum fore propugnabant, ſi quis aquam infundens, aut puerum in aquam immergens, nude ac ſimpliciter diceret. *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.*

Id ipſum opportuno, ut videbatur, exemplo confirmabant. Tam eſt, inquiebant illi, de ratione ſacrificii, ut ſit oblatio externa Victimæ ali-

(a) *Apud Tournelii pag.* 21. *&* 25. *de Baptiſmo Venetæ Edit. Anni* 1589.

alicujus soli Deo facta, quam est de ratione baptismatis, ut sit ablutio quædam exterior; Atqui ut rata sit legitimaque oblatio victimæ in sacrificio, non est necessaria vocalis oblatio, seu necesse non est, ut Sacerdos hæc verba proferat, *Ego tibi offero omnipotens Deus*; sed satis est si re ipsa victimam offerat, eam scilicet altari superponendo: igitur pari titulo inquiebant, ut validum sit baptisma necesse non est, ut Minister expresse dicat, *Ego te baptizo*, sed satis est, si re vera de facto baptizet, & abluat.

Claromonti, in Gallia nostra, nata est controversia hæc, duodecimo cadente sæculo, occasione viri cujuspiam, qui periclitantem filium baptizavit præcipitanter, his verbis omissis, *Ego te baptizo*; aliisque duntaxat pronunciatis, *In nomine Patris & Filii & Spiritus S.* Pontius Claromontanus Episcopus, Stephanum Tornacensem Episcopum Litteris convenit, sententiam ea de re quæsiturus, Num esset ratum validumque baptisma? Respondit ille, validum prorsus esse; propterea quod, ajebat ille, omissa verba, *Ego te baptizo*; de necessitate ministerii duntaxat essent, non de necessitate Sacramenti. Verum hac ipsa de re consultus subinde Mauritius Episcopus Parisiensis, sententiam oppositam dixit, datumque baptisma irritum pronunciavit. Quare in eo variarum opinionum conflictu ad Alexandrum III. R. P. quæstio lata est, qui Parisiensis Episcopi judicium probavit, & confirmavit, Baptisma nullum & irritum judicando. Extat Pontificium Rescriptum, *Extrav. de baptismo, & ejus effectibus Cap. Si quis* in hæc verba: *Si quis puerum ter in aquam immerserit, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. & non dixerit ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S., non est puer baptizatus.*

Sed & hac ipsa ætate nostra cum Baptismum eo modo collatum (verbis scilicet illis minime prolatis, *Ego te baptizo*) validum in Belgio maleferiatus aliquis Theologaster docuisset, ab Alexandro VIII. R. P. novo fulmine ictus est anno 1690. die 7. Decembris, dum assertionem illam, inter alias longe multas, de Consilio supremæ Inquisitionis, condemnavit: *Valuit aliquando baptismus sub hac forma collatus, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. prætermissis illis verbis, Ego te baptizo.* (a) Caussa ergo finita est. Cœlum tonat, ranæ taceat.

Ratio judicii Pontificii, ista, quantum capio quantum sapio, esse potest; quod exterior hominis ablutio, varios ob fines fieri possit; aut ad corporis munditiam, aut ad sanitatem procurandam, aut etiam ad jocum, aut ludum; atque ita necesse est ablutionem, ex ipsa verborum forma, ita determinari, ac figi, ut ad Sacramentum baptismatis conferendum, re vera fieri significetur: id autem satis non explicant nuda verba, *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.* (cum in sancto hujusmodi nomine omnia facere jubeat Apostolus *ad Coloss. 3.*) nisi & præmittantur alia verba, *Ego te baptizo*, quæ ex usu Ecclesiastico Sacramentalem ablutionem significant.

Neque vero dixeris, ablutionem illam, & SS. Trinitatis invocationem, ad baptismi ritum perficiendum, ex sola intentione Ministri abunde determinari, quamvis alia verba, baptizantis actum experimentia, fileantur: frustra inquam id dixeris: quia ut scite monet Doctor Angelicus 3. *part. quæst. 64. Art. 8.* hæc ipsa intentio ministri verbis ipsis exprimi debeat, in iis saltem Sacramentis, quæ in forma sua Ministri actum expressum habent, quale est baptismatis Sacramentum: Iis porro verbis, *Ego te baptizo*, intentio Ministri Ecclesiæ nomine baptizantis duntaxat exprimitur.

Quod autem ajebant contrariæ sententiæ vindices, actum baptizandi melius exprimi facto quam verbo, seu baptismatis actuali collatione melius exprimi, quam verborum illorum prolatione, *Ego te baptizo*: Id inquam futilissimum est. Quia factum illud, nempe collatio baptismatis, seu exterior illa corporis ablutio factum se solo æquivocum est, Sacramenti baptismatis collationem necessario non exprimens, sed qualemcumque corporis ablutionem, seu sacram, seu prophanam, seu forte jocosam, nisi verbis illis expresse præmissis exerceatur, *Ego te baptizo*: quæ ex Ecclesiæ usu ad Sacramentalem baptismatis collationem significandam unice valent.

Rem totam familiaribus exemplis aperiam: si cui ego alapam impingam, necesse profecto non est, ut ei dicam, *alapam tibi ad injuriam impingam*: alapa enim se ipsa loquitur, illatamque prodit injuriam. E contra si ingenuus adolescens puellæ dederit annulum, necesse omnino est, ut ei dicat *accipio te in Uxorem*, si eam velit in Uxorem accipere, quia traditio annuli se sola Matrimonium necessario non sonat; cum & possit annulus ex mera urbanitate puellæ donari. Sic ergo, quia ablutio corporis exterius facta Sacramentalem ablutionem se sola non sonat, necesse omnino est, eam ad Sacramentalem ablutionem determinari verbis illis adjunctis, *Ego te baptizo*: quæ ex publico Ecclesiæ usu eam aperte distincteque significant. Ex iis responsio patet ad exemplum in contrarium adductum, ab adversæ sententiæ defensoribus, de Sacrificiis.

Atque ita responsio patet, ad exemplum in contrarium allatum, de sacrificio. Idcirco enim satis est Victimam altari superponi ut sacrificium intelligatur offerri, nec ultra necesse est, ut Sacerdos conceptissimis verbis dicat, *Ego tibi offero omnipotens Deus*, quia victima ipsa Altari superposita, factum sui ipsius oblationem significat; cum ad nihil aliud Altari superponatur victima, quam ut Deo optimo maximo in sacrificium offeratur.

Actum igitur baptizantis verbis exprimi necesse est, ut ratum sit validumque baptisma: seu id Græcorum more fiat, usurpato verbo passivo, *baptizatur servus Christi*; seu more latinorum activo verbo usurpato, *Ego te baptizo*. Utrumque enim ratum habet Ecclesia Catholica.

Cæterum quod ajebat Stephanus Tornacensis Episcopus, a Pontio Claromontano Episcopo consultus (b) ut ratum validumque baptisma probaret, quod iis verbis omissis: *Ego te baptizo*, collatum erat; ea scilicet verba necessaria duntaxat esse *necessitate misterii, non necessitate Sacramenti*, id inquam adeo frivolum est ut nihil magis. Cum enim hoc ipsum ministerium, quod a baptizante exercetur, Sacramentale Ministerium sit, profecto non possunt verba illa *Ego te baptizo*, necessaria esse necessitate ministerii, nisi sint quoque necessaria necessitate Sacramenti.

Nam autem baptizantis actus, in ejusdem baptismatis collatione sæpius exprimi possit, illæso & inviolato Sacramento; octavo vertente sæculo, a nonnullis dubitatum est: occasione cujusdam rustici, qui puerum sub hac verborum formula baptizaverat: *In nomine Patris te mergo, & Filii te mergo, & Spiritus S. te mergo*. Judicium ea in re tulit Stephanus R. P. baptismumque eo modo

(a) *Apud Tournelii Edit. Venet. Pag. 47. de Bapt.*
(b) *Apud Tournelii de Bapt. Edit. Venetæ Pag. 46.*

modo collatum, ratum validumque dixit, ut legere est. *Tomo 2. Conciliorum Galliæ ad annum 754.* Lati hujusce juditii ratio hæc esse potest; quod tunc baptisma cum triplici immersione fieret, puero scilicet ad cujusque personæ SS. Trinitatis invocationem in aquam immerso; sicut ergo ter fiebat immersio, ter quoque immersio exprimi potuit. Maxime cum tres illæ immersiones, eadem occasione factæ, & ad eamdem personam abluendam, una lotio censeretur & esset.

Actum baptizandi in semetipsum exercere jura vetant, adeo ut nemo seipsum sacro baptismate tingere possit. Judicium ea in specie tulit Innocentius III. a Metensi Episcopo sententiam rogatus, occasione cujusdam Judæi, ad Christum de repente conversi, qui ritus nostros edoctus, & sacri baptismatis suscipiendi ardore succensus, sed a quo acciperet non inveniens, in aquam semetipsum immersit, inquiens, *Ego me baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.* Respondit Innocentius, non valere baptisma, Judæumque secundo lustrandum esse; propterea quod baptizantem inter, & baptizatum debeat esse distinctio; Nemoque semetipsum regenerare possit, uti plane nemo potest generare se ipsum. Tametsi nullum aliunde subesset dubium, quin Judæus ille, ardenti illo quo flagrabat baptismatis desiderio, justificationis gratiam obtinuisset. Legitur Innocentii III. Rescriptum *Cap. Debitum, extra de baptismo & ejus effectibus.* (b)

Neque obest si quis objiciat, posse aliquem Eucharistiam sibi ipsi administrare, semetipsum Eucharistico pane reficiendo: quasi vero pari jure possit quis semetipsum baptizare. Id enim peculiare habet Eucharistiæ Sacramentum, quod materiæ consecratione, non collatione & distributione perficiatur: In hoc nempe uno usus a Sacramenti confectione distinguitur. Qui ergo semetipsum aut alios Eucharistico pane reficit, non tunc conficit Sacramentum, sed Sacramentum antea confectum, in usum adhibet; qui autem baptismum confert, baptismum ipsum perficit conferendo.

Actum baptizandi seu abluendi ab eodem exerceri necesse est, a quo baptismatis forma profertur: adeo ut baptisma irritum esset; si uno infundente aquam, alius diceret, *Ego te baptizo*. Cujus rei gemina ratio est. Primo; Quia Minister cujuscumque Sacramenti formam debet applicare materiæ; quod utique non facit; nisi actum baptizandi exerceat ille ipse qui verba profert. Secundo; Quia si qui abluit, verba quoque non profert, sed alius quispiam, forma baptismatis falsa erit, *Ego te baptizo*; Nec enim baptizat qui non abluit, aut immergit; sed verba duntaxat profert; imo hac occasione baptizat, seu abluit alter.

Reponet fortasse nonnemo posse huic occurri incommodo; ut nempe falsa non sit baptismatis forma, quamquam uno actu baptizandi exercente, seu aquam infundente; alter sacrosancta verba pronunciet: Nempe, si more græcorum, forma baptismatis proferatur, *Baptizatur servus Christi in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.* quandoquidem, inquiet aliquis, verum semper est, servum Domini baptizari, etsi ab alio, quam a verba proferente, baptizetur, & abluatur. Ad populum phaleras illas. Imo & tunc quoque baptismatis forma falsa esset. Nec enim historice & ad modum simplicis narrationis alieni facti, Ministri græci dicunt, *Baptizatur servus Christi* sed effective; id nimirum efficiendo quod ajunt, cum verba Sacramentorum id efficere debeant, quod significant. Quare dum ajunt Græci, *Baptizatur servus Christi*: subintelligitur, *a me ipso*, non ab alio atque ita falsa locutio esset, si ille ipse qui loquitur, non perinde baptizaret, & abluret. Id igitur certum indubitatumque, actum baptizandi seu abluendi ab eodem exerceri debere, a quo baptismatis forma profertur.

Hinc D. Thomas 3. *p. q. 67. a. 6.* baptisma irritum pronunciavit, a duobus miselis collatum, quorum unus mutus cum esset, verba proferre non poterat, alter cum esset manibus truncus, nequibat aquam infundere; ita inter se se convenere, operasque partiti sunt invicem, ut muto aquam infundente, truncus manibus verba proferret. Hoc inquam baptisma nullum ac irritum dixit Doctor Angelicus: quia in omni Sacramento conficiendo, debet Minister formam applicare materiæ; formamque materiamque una simul afferre.

Quocirca Romæ cum essem ante annos ferme 50. sub Pontificatu Alexandri VIII. irritas judicari ac declarari vidi, ordinationes ab Episcopo Lesinensi factas, quia minorum ordinum formam, ad altare in faldistorio sedens proferebat, dum interim Capellani ejus, & Administri materiam ponerent, seu instrumenta tangenda porrigerent ordinandis. Eumdem ergo verba proferre necesse est, qui materiam administrat. Si autem velint ambo, aut etiam plures idem Sacramentum administrare, debent omnes ac singuli & materiam simul adhibere, & formam simul pronunciare. Hic tamen attente legatur D. Thomas 3. p. q. 67. a. 6., ubi disserte tradit, quo in casu duntaxat plures Ministri unicum baptismi Sacramentum conferunt.

Sed quæris forte, quid facturi erant miselli illi, de quibus loquitur D. Thomas, ut puerum baptizarent. Cum alter mutus esset, alter manibus truncus?

Respondeo: Poterat illorum unus totum baptismum administrare ipse solus; nempe qui manibus truncus erat. Quamquam enim aquam infundere non posset manibus quibus truncus erat, poterat tamen aquam ore hausta in puerum reflare, & quasi conspuere, verbaque illico pronunciare. Quo facto unus idemque totum ministerium exercuisset: unus idemque integre baptizasset.

Opponet forte, ad validum baptisma debere verba proferri quo momento ablutio fit, quod tamen præstare ille non potest, qui aquam reflando & conspuendo ablutionem facit, cum hoc ipso momento verba proferre non possit. At futile illud est. Non enim uno eodemque momento physico, duo illa fieri debent; Satisque superque est, si uno morali momento fiat, quod in sacris ordinationibus experimur.

His ita de actu Ministri baptizantis constitutis, & explicatis, de Trinitatis invocatione, quæ altera baptismatis formæ pars est, dicendum venit: Erit hoc sequentis Prælectionis argumentum.

PRÆLECTIO III.

Eadem forma Baptismatis adversus omnis ætatis Hæreticos, propugnatur.

Dicturus hodie, juxta promissi fidem, de altera formæ baptismatis parte, qua SS. Trinitatis invocatio continetur; Hæreticorum omnis ætatis proterviam satis mirari non possum; qui cum eam formæ partem apertissime lucidissimeque

(a) *Apud Petroconensem Lib. 2. de Bapt. c. 5. Pag. 182. Edit. Patavii 1535.*

a Christo D. in Evangelio præscriptam legerint, *Matthæi ultimo*; *Docete omnes gentes baptizantes eos in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.* eamdem tamen ipsi fœdissime vitiarint, & corruperint.

Nequissimos Sacrorum illorum verborum interpolatores invenio in priorum Sæculorum historia, Gnosticos, Cataphrigas, Paulianistas, Arianos, & Eunomianos; qui cum de SS. Trinitatis Mysterio prave sentirent, erroresque suos cæteris instillare molirentur, baptismum interpolata vitiataque Trinitatis invocatione conferebant. Qua de caussa, homines ita baptizatos, si forte ad Ecclesiam venirent, denuo baptizandos sanxere, Concilium Nicænum I. *Can.* 19. Laodicænum *Can.* 8. Arelatense pariter *Can.* 8. Sardicense, Constantinopolitanum I. Ephesinum, (*a*) tria Chartaginensia, ut cætera missa faciam. Hujus generis erat illa Arianorum baptizandi spuria formula, *Ego te baptizo in Nomine Patris majoris, & Filii minoris, & Spiritus S.*, cujus meminit S. Athanasius *Ser* 3. *adversus Arianos*. Haud paulo deterior erat altera baptismatis forma, *Ego te baptizo in nomine Patris, per Filium, in Spiritu S.* quam iratum de Cœlo numen insigni portento reprobavit, referente Theodoro Lectore *lib.* 2. *Hist.*, & Nicephoro Callixto *lib.* 13. *Histor. Cap.* 35. Cum enim Deuterius quidam Arianus Episcopus sub ea verborum forma quemplam nomine Barbam baptizare aggressus esset, aqua piscinæ, in qua facienda erat immersio, de repente evanuit.

Horum interpolatorum impietati obsecundare videntur Lutheranæ & Calvinianæ sectæ Professores: qui licet plenam & integram SS. Trinitatis invocationem in baptismatis collatione adhibere soleant; multa tamen de ea fabulantur plena erroris, & impietatis. Lutherus *libr. de Captiv. Babilon. Cap. de baptismo*, baptismum ratum ait, quibusvis tandem verbis conferatur, modo non detur in nomine hominis; sed in nomine Domini. Quin etiam ratum fore contendit, si eum minister in nomine Domini minime conferret, modo eum in nomine Domini baptizandus acciperet.

Zuinglius *lib. de vera, & falsa Religione* (*b*) nullam certam baptismatis formam præfixam esse contendit. Hinc Joannes Ekius *Homil.* 10. *de Baptismo*, nonnullos e Zuinglii Schola esse monet baptizare solitos, non in nomine, *sed in nominibus Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Quam quidem baptismatis formam, Arianam hæresim sapere, jamdudum tradiderant D. Ambrosius *lib.* 2. *de Sacramentis Cap.* 7. & S. Hieronymus *in Cap.* 4. *ad Ephesios* (*c*). Nec immerito: Nomen quippe auctoritatem ac potestatem eo loci significat; uti etiam *Marci ultimo*; *in nomine meo Dæmonia ejicient*: *Joannis* 5. *Ego veni in nomine Patris mei*: in Patris ergo & Filii & Spiritus S. nominibus baptizare, distinctam Patris, & Filii, & Spiritus S. potestatem profiteri est: quod certe Arianam hæresim sapit.

Audacior cæteris omnibus Joannes Brentius in Catechismo *Cap. de Baptismo*, ratum Sacramentum ore pronunciat, si minister, missa Trinitatis invocatione, post recitatum a Catechumeno Symbolum fidei, ita diceret, *Ego te baptizo in hanc recitatam fidei professionem*. Ita viri ab Ecclesia segreges de forma baptismatis audaces ariolantur.

Paulo mitius ac religiosius veteres nonnulli statuerunt, intra Ecclesiam Catholicam: qui licet ea invocationis SS. Trinitatis verba, interpolare, corrumpere, violare nefas dixerint, compendio tamen dici posse existimarunt: ratumque baptisma sunt opinati, quod his verbis simpliciter conferretur. *Ego te baptizo in nomine SS. Trinitatis*, nulla distincte appellata persona; Quod certe baptisma num ratum validumque foret, definire omnino non ausim; Alii de Ecclesia Catholica viri, alio compendio uti aliquantulum subtiliori, validum baptisma fore censuerunt, quod in unius duntaxat divinæ personæ nomine conferretur, maxime vero Secundæ, hoc est, Christi D. cæteris personis non negatis quidem, sed silentio missis; ea nimirum ratione ducti, quod una persona pronunciata, cæteræ compendio velut intelligantur, quarum est una eademque natura. Imo non desunt Theologi de Schola, qui Apostolos in unius Christi nomine baptizasse sibi persuaserint, ex iis actuum Apostolicorum verbis toties ingeminatis, de primis fidelibus, *baptizati tantum erat in Nomine Domini Jesu*, *Capp.* 2. 8. 10., & 19.

Nobis longe videtur aliter: Nec illa solum hæreticorum, de quibus paulo antea dicebamus, commenta seu blasphemias execramur; sed hanc ipsam Catholicorum illorum Theologorum opinationem improbamus: Nullumque omnino baptismum esse dicimus, qui absque expressa atque distincta trium personarum invocatione conferretur. Ita plane Sacræ Litteræ, ita Patrum immota & imperturbata Judicia, cui non stare nefas est.

Explicatissima in primis Evangelii verba sunt, *Matthæi ultimo*, *Docete omnes gentes*; *baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.* Quæ ita a veneranda majorum traditione excepta sunt, ut si alterutra divinarum personarum silentio mitteretur, irritum fieret, & inutile Sacramentum.

Prodit primus in ordine D. Cyprianus *Epist.* 73. ad Jubajanum (*d*) ubi Petri Apostoli verba recolens *Actorum* 2. *Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Domini Jesu Christi*: quibus nonnulli perperam abutuntur, ut baptisma in solius Christi nomine collatum, validum dictitent, ita commentatur SS. Doctor, *Jesu Christi mentionem fecit Petrus, non quasi Pater omitteretur, sed ut Patri quoque Filius adjungeretur. Ubi enim post resurrectionem Apostoli ad gentes mittuntur a Domino, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. gentiles baptizare jubentur: quomodo ergo quidam dicunt foris extra Ecclesiam, imo & contra Ecclesiam, modo in nomine Jesu Christi, ubicumque & quomodocumque gentilem baptizatum, remissionem peccatorum consequi posse; quando ipse Christus gentes baptizari jubeat in plena & adunata Trinitate?* Quo nihil explicatius desiderari a quoquam potest. Imo si D. Cypriani verba recte pensemus, atque intimius expendamus, comperiemus, Doctorem SS. contrariam opinionem velut erroneam rejecisse: quandoquidem eam, *& extra Ecclesiam & contra Ecclesiam* excogitatam esse contendit.

Suffragatur S. Basilius cognomento Magnus *lib. de Spiritu S. Cap.* 12. (*e*) ubi nonnulla Apostoli loca ad crisim revocans, quibus solius Christi meminit, dum de baptismo collato sermonem habet, *neminem vero*, inquit, *in fraudem inducat illud Apostoli, quod nomen Patris, & Spiritus S. in baptismatis commemoratione frequenter omittit: neque ideo putet harum vocum usum esse indifferentem.... Imo si in baptismo separare Spiritum S. a Patre, & Filio periculum est baptizanti, ita baptismum accipienti, inutile est.* Nullum itaque baptismum existimat D. Basilius sine distincta personarum expres-

(a) *Vide Tournelii pag.* 36. 37. 38. *Venetæ Edit.* 1589.
(b) *Vide Tournelii de Bapt. pag.* 61. *Edit. Venetæ* 1589.
(c) *Apud Tournelii Tom.* 2. *pag.* 59. *Edit. Venetæ* 1589.
(d) *Apud Tournelii pag.* 126. *Edit. Venetæ* 1589.
(e) *Vide Tournelii pag.* 40. *Edit. Venetæ* 1589.

pressione collatum; ipsique suscipienti prorsus inutilem esse contendit.

Favet utroque pollice D. Augustinus *lib.* 3. *contra Maximinum Arianum Capit.* 17. *Qui Patre, & Spiritu S. non nominatis in actibus Apostolicis jussi sunt baptizari, intelliguntur non baptizati, nisi in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.* Qui scilicet in forma baptismatis distincte sunt nominati.

Subscribit non absimiliter Facundus Hermianensis *lib.* 1. *pag.* 22. *Quod autem*, inquit, *in nomine Domini Jesu, hi quos memoravimus, baptizati narrantur, non ex eo credendum arbitror, quod in nomine Patris, & Filii, & Spiritu S. baptizati sint ut etiam in ipsis servaretur verbis, a Domino constituta forma baptismatis.*

Idem constat ex Decreto Pelagii Rom. Pont. nomine laudato apud Gratianum *dist.* 4. *de consecratione Capit. si vera*: *Et ex Epist.* 2. Zachariæ Rom. Pont. ad Bonifacium Episcopum, ubi definitionem ab eo cæterisque Collegis in Synodo factam approbat; qua nimirum statutum erat, *ut si quis vel unam de Trinitate personam, in baptismo non nominaret, illud baptisma verum esse non posset.* Quibus Synodi verbis recitatis subjungit Zacharias; *Hoc certe verum est, quia qui unum ex Sancta Trinitate professus non fuerit, perfectus Christianus esse non potest:* Quare Presbyterum quemdam oppositum afferentem, *Vacuum Spiritu S. & alienum a gratia Christi, atque a Consortio Sacerdotali abjiciendum esse*, declarat.

Quæ cum ita sint omnia, mirari profecto subit in ipsa Ecclesia Catholica inveniri potuisse Theologos aliquos, qui eam sententiam tuerentur; SS. Patrum suffragiis, summorumque Pontificum statutis palam aperteque repugnantibus.

Jam quæret quis fortassis a me; quæ ratio summis illis Pontificibus, laudatisque Patribus esse potuerit, ut expressam distinctamque trium personarum invocationem, omnino necessariam dicerent, in forma baptismatis, ut ratum esset validumque Sacramentum?

Respondeo cum Doctore Angelico; quia forma baptismatis a Ministro pronunciata, publica fidei professio debet esse Mysterii Trinitatis; Talis autem esse non potest, nisi tres personæ expresse distincteque nominentur, nec sufficit si compendio tantum sint nominatæ.

Erit tamen qui contra hanc ipsam rationem a D. Thoma datam opponat: Non explicatior, & accuratior fidei professio desideratur in Ministro, quam in baptizando adulto: At in adulto baptizando satis est fidei professio, compendio facta; si nempe adultus profiteatur se credere *in Jesum Christum Filium Dei*: Itaque pariter non desideratur in Ministro, nisi ut baptizet *in Nomine Jesu Christi Filii Dei*. Hoc probatur exemplo Eunuchi Reginæ Candacis *Actorum* 8. *Credo Jesum Christum esse Filium Dei*.

At Disparitas longe maxima est: qui enim baptizatur, in recipiendo baptismate, non est nisi persona privata: qui vero baptizat est persona publica; fideique professionem edit nomine Ecclesiæ in prolatione verborum, quæ non suo, sed totius Ecclesiæ nomine profert. Quare professio fidei compendio ab eo fieri non debet, sed plene, & integre.

PRÆLECTIO IV.

Theologorum quorundam momenta convelluntur, qui Baptisma in unius duntaxat divinæ Personæ nomine collatum, ratum ac validum esse contendunt.

CUm Theologis nonnullis primæ notæ, seu priscis seu recentibus lis nobis est hodie, qui baptisma ratum ac validum arbitrantur, quamquam in unius duntaxat divinæ personæ nomine conferatur; maxime Christi D., cujus unius appellatione cæteras quoque personas virtute veluti contineri arbitrantur. *Qui enim Christum dicit*, inquiunt illi, *& Filium dicit, qui unctus est, & Patrem a quo unctus est, & Spiritum Sanctum quo unctus est*. Horum itaque Theologorum momenta in præsentia diluemus: quod ut spero ita feliciter fiet, ut nemo non intelligat facile; quam levibus futilibusque rationibus adnitantur.

Apostolorum in primis exemplo se muniunt, quos in unius Christi nomine baptizasse colligunt, ex actibus Apostolicis *Cap.* 2. ubi Petrus Judæos alloquens, *pœnitentiam*, inquit, *agite, & baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi*. Tum *Cap.* 8. ubi de Samaritanis notatum est, *Spiritus Sanctus nondum in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine D. Jesu*: Tum *Cap.* 19. *Jussit eos baptizari in nomine Domini Jesu Christi*. Hincque ratum fore baptisma colligunt, quod cæteris Personis silentio missis, in unius Christi nomine conferretur.

Consecutionem hanc negare mihi fas fuerit, tametsi in unius Christi nomine, Apostolos baptizasse fateremur. Neque enim quod ab eis speciali revelatione, Deoque singulariter dispensante factum esset, in exemplum trahi posset, ut contra sancitæ legis dispositionem, secutis temporibus fieret: generalis quippe lex Matthæi ultimo lata est: *Docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus S.*

Sed & hoc insuper diffitemur omnino, Apostolos in unius Jesu Christi nomine, cæteris Personis omissis, fideles sacro baptismate expiasse. Ea quippe Scripturæ verba, quibus fideles baptizati dicuntur, *in nomine Jesu Christi*, non unius Christi nomen, in forma baptismatis expressum innuunt; sed id unum significant, fideles illos, Christi D. auctoritate fuisse baptizatos, seu baptismate a Christo D. instituto. Cum enim ea ætate, memoria baptismi a Joanne frequentati recens esset, multique ab eo baptizati, etiam tum in vivis degerent; quoquot sunt ab Apostolis baptizati, in Christi nomine baptizati dicuntur. Ut nimirum illos non Joannis, sed Christi baptisma suscepisse, perspectum esset.

Certe Apostolos cum trium divinarum Personarum invocatione baptisma contulisse; oppositumque ex iis Scripturæ locis extundi non posse; profitentur Ecclesiæ Patres, in superiori Prælectione laudati, digni Scripturarum Interpretes, Cyprianus, Basilius, Augustinus, Facundus Hermianensis: quorum hæc una vox est; *In nomine Christi Apostolos baptizasse, non quasi Pater omitteretur, sed ut Patri quoque Filius adjungeretur*. Hoc idem ex ipsis Apostolorum actibus non obscure colligitur *Cap.* 19. Si modo attente ponderetur. Cum enim Apostolus quosdam Ephesios interrogasset, *Si Spiritum S. accepissent credentes*; responderunt illi, *neque si Spiritus S. est audivimus*: Ad quæ Paulus confestim reposuit, *in quo ergo baptizati estis?* qui dixerunt, *in Joannis baptismate*: quare illos Christi baptismate baptizari jussit. Porro, inquio ego, Ephesios respondentes, se

se nescire *an Spiritus S. esset*, frustra nova hac interrogatione urgeret Apostolus, *in quo ergo baptizati estis?* Nisi in nomine Spiritus S. æque ac in nomine Christi baptizare soliti essent Apostoli.

Neque vero ulla ratio suberat; cur Apostoli speciali quadam dispensatione, præter legem in Evangelio sancitam, in solius Christi nomine baptizarent. Quod enim dicunt aliqui, ea illos dispensatione usos esse, ut Jesu Christi Nomen, quod Judæis ludibrio erat, honorabile fieret; futile est; Tum quia nemo veterum Patrum hujusce dispensationis fidem fecit; tum quia perinde, imo multo magis, honor Christi nomini conciliari poterat, si una cum cæteris divinis Personis invocaretur Jesu Christi Nomen, hoc pacto: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii ejus Jesu Christi, & Spiritus S.* Quod forsan Apostolicis temporibus factum est: legiturque apud Pseudo Abdiam Babylonicum, cujus tamen apud Eruditos suspecta fides est.

Frustra vero Doctoris Angelici auctoritate se muniunt aliqui recentiores: quasi ille Apostolos ea usus dispensatione in solius Christi nomine baptizasse, docuisset, 3. *part. quæst. 66. art. 4. ad* 1. Duplex etenim quæstio, hac in parte secernenda venit; Facti una, Juris altera. Facti quæstio est, an re ipsa in solo Christi nomine Apostoli baptizarint. Quæstio vero juris, an si Apostoli ita baptizasse perhibeantur, ordinario id jure fecerint, adeo ut factum illorum in exemplum trahi possit; an ex peculiari dispensatione id fecerint? Priorem facti quæstionem non expendit Doctor Angelicus: quia eas sibi partes non assumpsit in summa Theologica, ut historicas controversias agitaret: quæstioni juris duntaxat incubuit, ex operis instituto. Quare dum ad varia illa Scripturæ loca respondens in solutione ad 1. ait *Apostolos ex speciali dispensatione in solo Christi nomine baptizasse*, Hypotetieha responsio est, qua de jure pronunciat, non de facto. Quasi dicat, si Apostoli in solo Christi nomine baptizarunt, ut objectum argumentum adstruere videtur, id in exemplum trahi non potest, quod ab iis speciali duntaxat dispensatione factum est. Et hoc certe fatemur, quotquot D. Thomæ Discipuli sumus; sed quid vetat, huic Doctoris Angelici responso hoc alterum addere ad facti eliquationem, nec sic quidem Apostolos baptizasse, cum & id ex antiquis Ecclesiæ Patribus certissime colligatur. Sic certe non impetitur D. Thomæ Doctrina, sed novo potius adminiculo roboratur.

Negotium facessit aliquod Nicolai I. R. P. Responsum ad consulta Bulgarorum *Cap.* 104. ubi de Baptismo, a quodam Judæo, aut forte Pagano ministrato, sententiam rogatus, valeret ne an non; hoc illis responsum dedit: *A quodam Judæo nescitis, an forte Pagano, multos in Patria vestra baptizatos asseritis, & quid de his sit agendum consulitis. Profecto si in Nomine SS. Trinitatis, vel tantum in Nomine Christi, sicut in actibus Apostolorum legimus, baptizati sunt, constat eos non esse denuo baptizandos.* Quo responso satis innuit Nicolaus R. P. non modo Apostolos in solo Christi nomine baptizasse; sed & validum etiam nunc fore baptisma, si in solo Christi nomine conferratur.

Sed neque id multum incomodat, si duo in Nicolai I. Responso secernamus: Unum de quo a Bulgaris quærebatur, quodque ex instituto decernit atque definit: alterum de quo illi mota quæstio non erat, quodque obiter ac præter institutum attingit. Primum religiosum a vobis obsequium postulat, ac veluti Romanæ Sedis oraculum excipiendum est: Alterum uti privati Doctoris opinatio habendum venit, & ex Cathedra minime profectum. Quod a Bulgaris quærebatur, id unum erat, num Baptismus a Judæo vel Pagano collatus, validus esset? hunc validum definit Nicolaus, si in Trinitatis nomine collatus inveniatur: Infidelitatem conferentis, nihil valori baptismatis obfuisse decernit. En Sedis Apostolicæ oraculum, totius Ecclesiæ veneratione receptum. Quod autem obiter & in transcursu, præter institutum attingit Nicolaus, disjunctiva illa est definitioni assuta, *vel tantum in nomine Christi, sicut in Actibus Apostolorum legimus;* En singularem Nicolai I. uti privati Doctoris opinationem, quam Ecclesia ipsa non probat, quia neque ad illius decessorum statuta, neque ad Patrum traditionem exacta est. Ne quis porro responsum hoc nostrum nt nimium audax criminetur atque sugillet; sciant omnes hanc nobis distinctionem subministratam esse a Melchiore Cano, Concilii Tridentini Theologo præstantissimo, & Pontificiæ indeficientiæ, in decernendis fidei quæstionibus propugnatore acerrimo *lib. 6. de locis Theologicis*.

Difficilius fortasse fuerit, S. Ambrosium benigno sensu interpretari, ne sententiæ quam impetimus patrocinatus videatur *lib. 1. de Spiritu Sancto Cap.* 3. Alterutram quippe personam, in baptismatis collatione nominari, satis esse putat; modo aliæ non negentur, sed tantummodo sileantur. En S. Doctoris verba: *Si unum in Sermone comprehendas, aut Patrem, aut Filium, aut Spiritum Sanctum; fide autem nec Patrem, nec Filium, nec Spiritum Sanctum abneges, plenum est fidei Sacramentum*: Nempe baptisma. Cujus sententiæ rationem subjungit; *quia si Christum dicas, & Patrem a quo unctus est, & ipsum qui unctus est, & Filium, & Spiritum S. quo unctus est designasti*. Quo nihil prima fronte videtur luculentius.

Verum neq id quoque incommode cedit, si D. Ambrosii contextus paulo penitius perpendatur. Non enim agit ibi SS. Doctor de forma baptismatis, seu de verbis quæ a Ministro proferuntur in baptismatis collatione; quasi satis esse putet, alterutram personam nominare, ut sit validum Sacramentum; sed agit de productione effectus ipsius baptismatis; idque sibi vult unum, nempe effectum baptismatis, (seu spiritualem baptizati regenerationem, Divinæque gratiæ infusionem) omnibus simul personis, tamquam causæ efficienti attribui, dum vel uni personæ attribuitur: quia effectus quicumque ad extra producti, a tota Trinitate producti intelliguntur, ex quo ab una persona producti dicuntur. Quæstionem enim ibi agitat D. Ambrosius a Theologis solitam agitari, utrum opera Trinitatis ad extra, toti Trinitati communia sint: eamque affirmative definit, uti & Theologi affirmative definiunt: probatque exemplo effectus a SS. Trinitate ad extra producti, in collatione baptismatis; qui certe ab omnibus personis productus censetur, ex quo ab una persona productus dicitur. Dum itaque loco laudato ait D. Ambrosius, *si unum in sermone comprehendas, aut Patrem, aut Filium, aut Spiritum S. fide autem nec Patrem, nec Filium, nec Spiritum S. abneges, plenum est fidei Sacramentum;* hunc sensum habet; si de effectu baptismatis sermonem faciens, solum nominas Patrem, aut Filium, aut Spiritum S. cui effectum illum attribuas, perinde est, ac si personas omnes nomines omnibusque effectum illum adscribas: perindeque stat sacri baptismatis efficacia: De forma igitur baptismatis non est hic sermo; quasi vero Ambrosius somniavit, satis esse ad valorem baptismatis, si una duntaxat persona in ea baptismatis forma nominetur & invocetur. Certe quotquot eam D. Ambrosii laxiviam ostentant, ut hanc illi sententiam affingant, non satis advertunt, quam aperte, quam diserte totius Trinitatis invocationem, ad integram baptismatis formam, necessariam esse propugnaverit *lib. 2. de Sacramentis Capp.* 5. & 7. Quod si vel obiter observassent Theologi, illi, nusquam illum sibi pugnantia locutum effutiisset.

Instabit fortasse nonnemo ex D. Ambrosio jam laudato; *Qui Christum dicit, & Patrem a quo unctus est, & ipsum qui unctus est Filium, & Spiritum S. quo unctus est, designavit*: Ergo baptismus collatus in solo nomine Christi, in nomine trium personarum, quæ solo eo nomine designantur, collatus censeri debet; adeoque validus est habendus.

Respondeo; Patrem, & Spiritum S. implicite duntaxat, virtualiter, & oblique in solius Christi nomine importari, quatenus Pater Christum Filium unxit, & quidem Spiritu S. unxit: quod certe non sufficit ad legitimam baptismatis formam. Quia cum hæc fiat tanquam publica fidei professio, & quidem totius Ecclesiæ nomine; necesse est tres SS. Trinitatis personas, in ea expresse atque distincte nominari.

Opponet a ratione Theologica importunus aliquis cavillator: Tanta est potestas unius duntaxat personæ SS. Trinitatis, quanta est omnium personarum: Itaque tantundem valet baptisma, si in unius duntaxat personæ nomine conferatur, ac si conferatur nomine omnium.

At consecutio absona est. Non enim in nomine omnium Personarum, conferendum baptisma contendimus; quod sit major omnium potestas, quam unius duntaxat; sed quod ita præscripserit Christus in Evangelio, *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.* Idque ita præscripsit ipse, quia fidei professionem de Trinitatis Mysterio in baptismatis collatione fieri voluit. Quæ professio plena & integra, sine distincta trium Personarum nuncupatione fieri nequit.

Quæ cum ita sint, ut hactenus demonstravimus, multo minus ratum haberi potest Baptisma collatum olim a quodam rustico, nulla Divina nominata persona, sed dicendo duntaxat, *Ego te baptizo in nomine Dei, & Sanctæ Crucis*: Quamquam illud probare videatur D. Bernardus *Epist.* 340. Huic enim Abbatis Sanctissimi privatæ opinioni prævalet Traditio, Patrumque sententia. Quamquam & illud addi potest, duo Benedictinæ familiæ lumina, Gabrielem Herberonum, & Joannem Mabillonium, nostrumque Natalem Alexandrum, Viros criticæ artis peritissimos, Epistolam illam, D. Bernardo suppositam opinari, idque haud levibus momentis evincere, quæ, si otium licet, apud illos legi poterunt.

Post agitatas controversias de materia & forma baptismatis: reliquum est ut de ejusdem Ministro disputemus.

PRÆLECTIO V.

Prisca Patrum Orientalium de Ministro Baptismi Controversia refertur.

EST illa, quæ me de baptismi Ministro disputantem plurimum movet, Tertulliani digna sententia: *Veritati nihil præscribere potest; non spatia temporum, non patrocinia personarum, non intervalla locorum*. Si quis enim error, aut vetustate temporum stabiliri, aut illustrium defensorum patrocinio confirmari, aut locorum diffusione communiri potest, is ille profecto esset, qui de fide in Baptismi Ministro necessaria, tertio Christiani nominis sæculo suscitatus est; a sanctissimis Præsulibus variisque Synodis confirmatus, ac toto pene Oriente diffusus. Rerum omnium seriem texere, operæ nostræ pretium erit; ut quæ nobis hujus erroris occasione difficultates eliquandæ veniunt, oculis subjiciamus.

Fidem in Baptismi Ministro omnino esse necessariam, atque ita baptismum ab Hæreticis collatum nullum esse, hominesque ab iis lustratos, denuo tingi oportere, defendit primus omnium Agrippinus Episcopus Carthaginensis, S. Cypriani decessor, statuitque ea de re inito Concilio, quod ad Annum Christi 215. refert Conciliorum Editio novissima. Jactis in Africa fundamentis, in Orientem cito propagatus est error: ibique magni nominis viros ac sanctitate etiam insignes propugnatores habuit, Firmilianum præcipue, Cæsareæ in Cappadocia Episcopum, & S. Dionysium Alexandrinum; Synodisque plurimis stabilitus est, maxime vero Iconiensi, & Synadensi anno circiter 256. Prioris illius Synodi meminit Firmilianus in Epistola ad Cyprianum, quæ inter Cypriani ipsius Epistolas extat ordine 75. utriusque vero mentionem ingerit S. Dionysius Alexandrinus *Epist.* 3. de Baptismate ad Philemonem Romanum Presbyterum data, cujus insignia fragmenta refert Eusebius *lib. 7. Hist. Eccles. cap. 6.*

At nuspiam error ille majores, quam in Africa vires obtinuit. Januarius aliique Numidiæ Episcopi, de iterando hæreticorum baptismate, ad S. Cyprianum aliosque Antistites Carthagine congregatos, litteras dederunt: quare prima ea de re Synodica consultatio Carthagine habita est anno Christi 256. Decretum est, Hæreticorum baptisma nonnisi vera Sacramenti simulacrum esse: atque idcirco ab Hæreticis lustratos rebaptizandos esse, seu potius simpliciter baptizandos. Baptizationis quippe nomen Patribus Africanis invisum semper fuit. *Nos*, inquit, S. Cyprianus *Epist.* 71. ad Quintum, *dicimus, eos qui ab Hæresi veniunt, non rebaptizari apud nos, sed baptizari. Neque enim accipiunt illic aliquid, ubi nihil est; sed veniunt ad nos, ut sic accipiant, ubi & gratia, & veritas omnis est; quia & gratia, & veritas una est*. Extat hujusce synodicæ consultationis decretum, in Epistola synodica, quam S. Cyprianus, una cum Episcopis sibi assidentibus, scripsit ad Januarium cæterosque Numidiæ Episcopos, quæ inter ejus Epistolas 60. locum occupat.

Synodum alteram eodem anno Carthagine celebravit S. Cyprianus, ad quam Episcopi septuaginta & unus convenerunt, ut quæ in priorem de baptismo hæreticorum minime recipiendo sancita erant, pleniore sententia confirmarentur. Ex ea Synodo, S. Cyprianus una cum cæteris Episcopis, synodicam, ad Stephanum Rom. Pont. Epistolam dedit, qui cæteras inter illius Epistolas 71. est, qua ipsum de suæ Synodi actis certiorem fecit, utque illis præberet assensum, atque auctoritatis suæ pondus adjiceret, efficere conatus est. Interim alteram ad Jubajanum Epistolam scripsit idem Cyprianus, *numero* 73. in qua multis argumentis ipsi persuasit, Baptisma hæreticorum nullum, & irritum esse: Alteramque cæteris frequentiorem Synodum Carthagine celebravit, in qua 87. Episcopi Africani sententiam de Hæreticorum iterando baptismate dixerunt, verisimilibus eam rationibus confirmantes.

Stephanum Rom. Pont. vehementer improbasse S. Cypriani, & Africanorum Antistitum sententiam, ac Synodorum Carthaginensium decreta, de Baptismo Hæreticorum iterando, certissimum est: tum ipsius Cypriani testimonio, tum cæterorum omnium Scriptorum auctoritate, tametsi re-

rescriptum ejus, quo acta rescidit, temporum injuria perierit. Constat insuper Firmiliani aliorumque orientalium Legatos, qui Synodorum acta Romam detulerant, durius illic exceptos esse, iisdem negatum hospitium, negatum osculum. Id quippe Firmilianus ipse professus est Epistola inter Cyprianicas 75. dubium tamen est, num orientales, ipsumque S. Cyprianum cum Coepiscopis excommunicarit Summus Pontifex.

Acceptis Stephani Summi Pontificis Epistolis, quibus Synodorum Carthaginensium Acta in irritum mittebat, & Hæreticorum baptisma ritu Ecclesiastico ministratum validum asserebat, pristinam sententiam non deposuit S. Cyprianus, nec cessit auctoritati Pontificiæ, quam ratione destitutam existimabat. Qua de re ad Pompejum Epistolam direxit paulo duriorem; qua Rom. Pontificem durius exagitat, uti in errorem prolapsum, & Hæreticorum causæ patrocinantem; Quin etiam decretum ejus perperam accipiens, & in absonum sensum detorquens, eidem vitio vertit, quod omnium plane hæreticorum baptisma ratum ac validum statuisset, tametsi verbis Evangelicis collatum non esset. Vix dici queat quantum in Pontificem exarserit Cyprianus; erat enim animo acer, propositi tenax, flecti ac mollescere nescius, in ea maxime sententia propugnanda, quam Synodorum auctoritate communitam noverat: cæterum num tandem sub vitæ finem suum ipse castigarit errorem publico aliquo documento, dubium est. Id pie opinatus est Augustinus *Epist.* 48. non tamen constanter asseruit. *Correxisse Cyprianum istam sententiam non invenitur: non incongruenter tamen de tali viro existimandum est, quod correxerit, & forte supressum sit ab eis, qui hoc errore nimium delectati sunt*, (videlicet Donatistis) *& tanto veluti patrocinio carere noluerunt*. Episcopos alios Cypriani collegas, palinodiam tandem aliquando decantasse, monet S. Hieronymus *in Decalogo contra Lucifer. Cap.* 8. *Illi ipsi Episcopi*, inquit ille, *qui rebaptizandos hæreticos cum eo statuerant, ad antiquam consuetudinem revoluti, novum emisere Decretum*. (*a*) At quid ipse Cyprianus tandem egerit, ne verbulo quidem innuit.

Ut ut est, tametsi eo in capite graviter Cyprianus errarit, ejus nihilominus culpam multiplici ratione minuit S. Augustinus, in libris contra Donatistas elaboratis. Primo; Quia ita effectus erat animo, ut oppositæ consuetudini cederet, secundum quam ratus in Ecclesia Romana habebatur hæreticorum baptismus, modo Concilii Œcumenici auctoritate confirmata esset, & graviori rationum pondere vindicata. Secundo; Quia absque dispendio unitatis, & pacis Ecclesiasticæ, suam de rebaptizandis hæreticis sententiam propugnabat. Tertio; Quia quæstionem hanc disciplinæ duntaxat esse opinabatur, nequaquam tamen ad fidei capita pertinere. Quarto; Quia nævus ille in candore sanctæ Animæ, Charitatis uberibus tegebatur, ac tandem Martyrii falce penitus amputatus est: Porro quo tempore Orientales cum Firmiliano ab errore, qui eis cum Cypriano communis erat, resipuerint, controvertitur.

Post Cyprianum ad superos vocatum, fataque ultima ab iis Africanis Episcopis persoluta, imo post errorem in Conciliis Œcumenicis proscriptum, eumdem illum instaurarunt auxeruntque Donatistæ. Enim vero Cyprianus, & qui cum illo sentiebant, eos ceu hæreticos non habebant, qui hæreticorum baptisma ratum habebant; Donatistæ e contra, quotquot hæreticorum baptisma ratum existimabant, usque adeo velut hæreticos fugillabant, ut illos ipsos qui ab iis tincti fuerant denuo lustrarent. Id illis maxime vitio vertit Augustinus *libro de unico Baptismo cap.* 13. ubi Donatistas cum Cypriano ejusque Collegis conferens, *Rebaptizare hæreticos*, inquit, *quod illi fecisse dicuntur, tunc fuit humani erroris: rebaptizare autem Catholicos, quod adhuc isti faciunt, semper est Diabolicæ præsumptionis*. Rursus Cyprianus cæterique Collegæ, nullo antea Œcumenici Concilii audito judicio errorem temere propugnarant: Donatistæ, post definitionem duorum Conciliorum generalium, Nicæni videlicet, & Constantipolitani, utriusque nominis primi, eumdem illum audacius instaurarunt; quod hæreticorum proprium est. Hinc illos toties Augustinus Concilii plenarii auctoritate exagitavit, quod millies in illorum faciem illisit: Tametsi nusquam illud ex nomine designarit: Hincque historiæ tractatoribus dubium natum est, num Arelatense; num forte Nicænum intellexerit SS. Doctor: Cyprianus demum & Asiani Præsules illud duntaxat baptisma iterandum opinabantur, quod extra Ecclesiam ab Hæreticis datum esset: Donatistæ non illud modo quod ab hæreticis datum esset, sed quodcumque a malis Ministris, quorum impietas nota esset intra Ecclesiam, ministratum, denuo conferendum effutiebant. Imo non deerant, qui omnes omnino Ministros improbos, etiam occultos, eadem forte involverent. Rei fidem locupletissimam facit Augustinus *libro* 2. *contra Cresconium cap.* 28. sed neque Donatistæ soli eo luto hæsere: Errorem hunc post annos admodum septingentos suscitarunt denuo Apostolici, Albigenses, Valdenses, aliæque hujusce farinæ pestes, queis Sacramenta a malis Ministris collata, nulla omnino visa sunt. Eumdem novo absurdo cumulavit Joannes Witclessus, qui non modo peccatores sive occultos, sive manifestos, nulla Sacramenta conficere commentus est; Verum etiam, & illos qui cum in præsentia boni sint, mali tamen futuri sunt. Qua in re a Concilio Constantiensi *Sess.* 8. damnatus est.

Ut itaque dogma Catholicum, de fide Ministri ad baptismi integritatem inutili, vindicemus, cæterasque ad historiam attinentes difficultates eliquemus, varia nobis tractanda veniunt. Primo; Num Ministri fides ac probitas valido baptismo conferendo necessaria sit? Secundo; Num Stephanus Romanus Pontifex Cyprianum & Firmilianum cum Coepiscopis, ob errorem de rebaptizandis hæreticis excommunicarit? Tertio; Num Stephanus idem in oppositum errorem decreto suo prolapsus sit, quorumcumque hæreticorum baptisma, tametsi verbis Evangelicis minime collatum, ratum validumque definiendo. Quarto; Quo tempore Orientales ab suo illo errore resipuerint? Quinto; Quodnam illud Concilium plenarium fit, cujus auctoritatem tacito nomine urget D. Augustinus, adversus Donatistas rebaptizantium errorem recudentes? Ita fiet, ut celebrem illam controversiam, cujus vobis in præsentia pressissimam analysim dedimus, in bono lumine collocemus.

Quare in sequenti dissertatione primum de fide Ministri ac probitate, dogmaticam controversiam volente Deo auspicabimur.

PRÆ-

(a) *Apud Tournelii de Sacram. in genere Edit. Venetæ.*

PRÆLECTIO VI.

Hæreticos Sacramentum Baptismatis valide posse ministrare; nec Infidelitatem Ministri valori Baptismatis officere, probatur atque defenditur.

EST illa, quæ me de fide in baptismi Ministro minime necessaria disputantem plurimum movet Tertulliani digna Sententia *Veritati nihil præscribere potest; non spatia temporum, non patrocinia personarum, non intervallæ locorum*. Si quis enim error, aut vetustate temporum stabiliri, aut illustrium defensorum patrocinio tegi, aut locorum diffusione confirmari posset; is ille profecto esset, qui de fide in baptismi Ministro necessaria, tertio Christiani nominis Sæculo suscitatus est, a SS. Præsulibus Africanis, variisque Synodis confirmatus, ac toto pene Oriente diffusus.

Fidem enim vero in baptismi Ministro omninò esse necessariam, atque ita baptismum ab Hæreticis collatum nullum esse; hominesque ab iis lustratos, denuo tingi oportere, defendit omnium primus Agrippinus Episcopus Carthaginensis, totiusque Affricæ Primas, habitoque comprovincialium Concilio confirmavit anno 215. Agrippinum in eodem errore tuendo secuti sunt S. Firmilianus Cæsareæ in Cappadocia Episcopus, & S. Dionysius Alexandrinus, habitisque pariter Synodis, Iconiensi nimirum & Synadensi comprobarunt. At nemo omnium errorem illum tenacius ardentiusque defendit S. Cypriano, laudati Agrippini in Sede Carthaginensi successor: qui quatuor numerosas Carthagine Synodos habuit, ut eumdem errorem Coepiscoporum suffragiis, & auctoritate communiret: primam quidem Episcoporum 50. alteram Episcoporum 71. tertiam Episcoporum 73. quartam Episcoporum 87.

Harum omnium Synodorum acta in irritum misit Stephanus I. Rom. Pont. erroremque tot illarum decretis Canonibusque firmatum proscripsit damnavitque jure Primatus, quem in Universa Ecclesia Catholica obtinebat. Nos pro officii ratione, ac pro oppignerata jam fide, Catholicam veritatem, hacce præsenti exercitatione vindicandam aggredimur, quæ de tot magni nominis hostibus triumphavit. Hoc igitur erit præsentis exercitationis argumentum: Hæretici Sacramentum baptismatis possunt valide ministrare: Infidelitas Ministri non officit valori baptismatis, modo alias cum forma debita ministretur: atque adeo qui sunt ab Hæreticis baptizati, si ad Ecclesiam Catholicam venerint, non sunt denuo baptizandi; sed per manuum impositionem reconciliandi.

Ita plane vetus Ecclesiæ Romanæ traditio ferebat, cujus se propugnatorem ac vindicem præbuit, & Africanis opposuit Stephanus I. ita decernens, in celebri illo Pontificio Rescripto, quo suscitatam ætate sua controversiam diremit: *Si quis a quacumque hæresi venerit ad vos rite, ac debite baptizatus, nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus illi tantum imponantur ad Pœnitentiam*. Nihil scilicet ultra reconciliatoriam manuum impositionem, hæreticis ad Ecclesiam redeuntibus fictitari solitum erat, ob id unum quod susceptum in ipsa quoque hæresi baptisma, ratum ac validum haberetur: procul hinc nova baptismatis initiatio. Lati decreti fidem faciunt, S. Cyprianus ipse *Epist.* 74. Eusebius *lib.* 7. *Hist. Eccles. Cap.* 2. S. Augustinus passim in libris contra Donatistas; & alii quotquot eo de argumento scripsere primis Ecclesiæ Sæculis.

Stephani I. Judicium secuti Pontifices confirmarunt, Siricius, *Epistola ad Hymerium Tarraconensem Episcopum*, Innocentius I. *Epist.* 2. *ad Victricium Rothomagensem Episcopum Cap.* 8. Leo Magnus *Epist.* 77. ad *Nicetam*, Anastasius II. *in Epistola ad Anastasium Imperatorem*, quorum testimonia minutatim recensere otiosi esset hominis, utpote quæ apud Polemistas nostros singulis prostent.

Suffragata sunt Oecumenica Concilia, totius orbis veneratione confecrata, & præcipue Nicænum primum, cujus auctoritatem toties Donatistis, Africanorum errorem recudentibus opposuit, Augustinus. Enim vero *Canone* 8. Novatianos, quos Catharos seu Mundos vocitabant, ad Ecclesiam redeuntes, nequaquam iterato baptismate; sed cum sola manuum impositione recipi jubet Sacra Synodus: *Canone* vero 19. Paulianistas si forte redierint, denuo lustrari præcipit: quod illi nimirum Novatiani baptisma ritu Ecclesiastico ministrarent; illi videlicet Paulianistæ, non item. Prioris Canonis verba sunt: *de his qui se nominant Catharos id est Mundos, si aliquando venerint ad Ecclesiam Catholicam, placuit Sancto & Magno Concilio, ut impositionem manus accipientes sic in Clero permaneant*. Canon alter his verbis expressus est: *De Paulianistis ad Ecclesiam Catholicam confugientibus, definitio prolata est, ut baptizentur omnimodis*. Ex quibus geminis Canonibus mutuo collatis, generalis regula deducitur: Illorum nempe Hæreticorum baptisma ratum esse, atque ita minime iterandum, qui illud Canonico ritu conferrent; quale profecto Novatianorum baptisma fuit: Cæterorum vero debitam formam minime servantium, uti Paulianistarum, irritum esse.

Clarius vero Concilium Arelatense I. *Can.* 8. *De Afris, qui propria lege utuntur ut rebaptizent, placuit ut si ad Ecclesiam aliquis de hæresi venerit, interrogent eum Symbolum: Et si previderint eum in Patre, & Filio, & Spiritu Sancto esse baptizatum manus ei tantum imponantur, ut accipiat Spiritum Sanctum. Quod si interrogatus non responderit hanc Trinitatem, baptizetur*. Ut hinc videas Hæreticos illos, qui baptismum verbis Evangelicis a suis Symittis accepissent, nequaquam esse baptizandos, sed per manuum impositionem reconciliatoriam in Ecclesia recipiendos.

Immensus sim, si Patrum idem statuentium suffragia congeram: ex quo enim veritas hæc in rem ab Oecumenicis Conciliis definitam abiit, nemo illorum unus fuit, qui ubi se dedit occasio, in eam Sententiam velis remisque non venerit. Nonnullos indigitabo qui per otium legi possint. S. Augustinum, qui dogma Catholicum ex instituto defendit, libris septem adversus Donatistas elaboratis: S. Hieronymum, qui hoc idem contra Luciferianios speciali dialogo propugnavit: Optatum Milevitanum *libro* 5. *contra Parmenianum*: Gregorium Nazianzenum *Oratione de baptismo*, & Cyrillum Hierosolymitanum *in Catechesibus*.

Momenta vero, quibus SS. Patres Catholicum dogma vindicarunt, ista erant, alta mente defigenda. I. Ex prælaudata Ecclesiæ R. traditione petebatur. Nunquam enim Ecclesia R. hæreticos rebaptizare solita fuerat; eo solo nomine quod fuissent ab Hæreticis baptizati; Ea vero Traditio licet annorum duntaxat esset ducentorum & quinquaginta; (Si quidem tot a Christo D. anni duntaxat effluxerant) tantum tamen roboris & auctoritatis obtinuit, ut ob hanc unam S. Cypriani, & Africanorum Præsulum caussa, nationalibus licet Conciliis confirmata, attonsa sit. *Consuetudinis robore*, inquit, S. Augustinus *lib.* 2. *de Baptis. Cap.* 9. *tenebatur orbis terrarum; Et hæc sola opponebatur, inducere volentibus novitatem*.

Quo ex loco intelligant, ætatis nostræ Sectarii, Lutherani & Calviniſtæ, quam procul a priſca illa & Sacra Eccleſiæ lege aberrent; qui mille & ſeptingentorum annorum Traditiones floci faciunt, & ob unum alterumve Scripturæ locum præpoſtero ſenſu detortum, totius retroactæ antiquitatis ritus exſibilant: Cum contra Priorum Sæculorum Patres, ex una ducentorum ac quinquaginta annorum Traditione, Scripturæ contextus numero plures, Cypriani cauſſæ in ſpeciem faventes, exponendos arbitrarentur.

Alterum ex ſcripto Dei verbo momentum deſumebatur. Et vero, nihil Miniſtrorum Sanctitatem, fidem, ac Religionem Sacramentis ad valorem prodeſſe, haud obſcure ſignificant ſacræ Literæ. Eæ quippe paſſim innuunt, non Petrum aut Paulum baptizare, ſed Chriſtum, *hic eſt qui baptizat in Spiritu S. Joan. I. Neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus*, 1. *Cor.* 3. Quid ergo oberit baptiſmatis efficaciæ plantator aut rigator iniquus, ſi totam, quanta quanta eſt virtutem ac vim a Deo repetit Sacramentum? Rurſus Miniſtrationum gratia, ad quam pertinet poteſtas miniſtrandi baptiſmatis, gratis data eſt, perinde ac Prophetia, & patrandorum Miraculorum poteſtas. 1. *Cor.* 12. Gratiis porro gratis datis commune eſt, ut cum infidelitate & impietate ſtare poſſint. Hinc Caiphas hominum ſceleſtiſſimus prophetavit *Joan.* 14. Prophetavit & Balaam *Numer.* 13. Quin etiam impios multos in die Judicii fore monet Chriſtus ipſe *Matth.* 7. qui dicturi ſint: *Domine nonne in nomine tuo prophetavimus & in nomine tuo Dæmonia ejecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus?* Ut hinc noverimus, gratias gratis datas, & miniſtrationes poſſe infidelibus etiam & impiis eſſe communes.

Tertium ab exemplis argumentum petebant Eccleſiæ Patres. Certe Chriſti Diſcipulos Magiſtro adhuc inter homines converſante promiſcue baptizaſſe legimus *Joan.* 4. At eos inter Judas erat, vir utique nequam & Dæmonis emiſſarius: nuſpiam vero proditum eſt, Apoſtolos detecta tandem ac revelata Judæ nequitia, illos ſecundo tinxiſſe, quos ille luſtraverat. Non abſimiliter Samaritani, tanquam Schiſmatici atque Hæretici a Judæis habebantur: Nuſpiam tamen legere eſt, Judæos ſecundo circumcidiſſe Samaritanos, ubi forte ad illos relicto Schiſmate reverterentur. Rurſus Dei verbum ab improbis pari efficacia nunciatur: quin etiam gaudebat Apoſtolus *ad Philip. I.* nunciari Dei verbum ab iis ipſis, qui ex ſecreta quadam æmulatione Sacrum Miniſterium obibant: *Quidam*, inquit, *ex contentione Chriſtum annunciant non ſincere, exiſtimantes præſuram ſe ſuſcitare vinculis meis. Quid enim? Dum omni modo ſive per occaſionem, ſive per veritatem Chriſtus annuncietur, & in hoc gaudeo ſed & gaudebo.* Hujus quidem ratio una hæc eſſe poteſt, quod ſuadendi vis Dei verbo congenita ſit, & a Miniſtri probitate nihil virtutis accipiat. Pari itaque ſorte Improbi Sacramenta miniſtrare poterunt, vim eamdem ac virtutem habentia; utpote quæ illis, non a Miniſtro, ſed ab Auctore congenita eſt.

Quartum momentum ex ipſa Sacramentorum conditione ac fine deſumebatur. Sunt hæc, uti notum eſt, ad ſanctificandos homines inſtituta: Salutis & gratiæ pixides & apothecæ ſunt. Næ igitur miſeram hominis ſortem, cujus ſalus omnino penderet ab homine? pendere porro neceſſe eſt, ſi Sacramenta queis Salutem conſequitur, nihil virtutis, ac virium habent, niſi a fidelibus ac religioſis hominibus conferantur. *Maledictus homo qui confidit in homine*, inquit Deus: at confidere nos præcipue in homine opus eſſet, ex cujus fide ac pietate regenerationis noſtræ gratia penderet ac ſalus. Cæterum tamen ut omnis facilius diluatur objectio, quæ hic poſſet excitari, videatur D. Thomas 3. p. q. 68. a. 8. in c. & ad 3.

Quintum momentum petebat Auguſtinus ex hiſtoria Synagogæ. Certe tametſi plerumque, cum univerſo populo Sacerdotes ipſi peccarent, Deique legem prævaricarentur, ac etiam in Idololatriam inciderent, uti tempore Judicum, & ſub impiis Regibus ſæpius accidit, rata nihilominus habebantur collata ab ipſis Sacramenta. Imo quo tempore Chriſtum ſibi præſentem, & prædicantem Sacerdotes illorumque principes perſequebantur, uſque adeo tamen rite ac valide miniſtrabant Sacramenta ſua; ut illos ipſos quos Chriſtus lepra mundabat, ad Sacerdotes mitteret, ut offerrent pro ſe Sacrificium. *Quanto magis*, inquit Auguſtinus *lib.* 3. *de Baptiſmo Cap.* 19. *nos Sacramenta novi Teſtamenti, apud quoslibet hæreticos vel Schiſmaticos invenientes, non debemus ipſis tribuere, nec quaſi non agnita reprobare.*

Iis Patrum momentis, quibus fidem ac religionem, ad Sacramenta valide conferenda, minime neceſſariam demonſtrabant, Scholæ rationem adjiciam. Ubi cauſſa princeps infinitæ virtutis & efficaciæ eſt, effectus a cauſſa miniſtra præpediri non poteſt: quia hæc ita ſibi iſtius efficaciam ſubdit, ut nutui ſuo ſervire omnino faciat: maxime in iis effectibus producendis, qui naturæ vires excedunt: ii ſiquidem ab unius cauſſæ principis virtute derivantur. Sic porro Sacramenta ſe habent a Deo uno, uti cauſſa principe, infinitæ virtutis & efficaciæ Vim omnem accipiunt. Non itaque putandum eſt, Sacramenta ex Miniſtri improbitate effectu vacua eſſe poſſe.

Hinc profligatum arbitror, non modo Africanorum, Donatiſtarum, Apoſtolicorum, Albigenſium, Valdenſium errorem, quo nulla Sacramenta eſſe dictitabant, quæ ab infidelibus maliſve Miniſtris conferuntur; Verum etiam potiori jure eliſum puto Joannis Witcleſi delirium; qui uti externa luce præmonebam, non modo peccatores, ſive occultos, ſive manifeſtos, nulla Sacramenta conficere commentus eſt; ſed & illos etiam, qui cum boni eſſent, dum Sacramenta miniſtrabant, poſtea tamen a fide & Sanctitate deciderunt. Certe ſi nihil Sacramentis obeſt præſens malitia miniſtrorum, uti jam multis oſtendimus, longe minus futura oberit iniquitas. Quamquam & alias error ille Joannis Witcleſi, novo atque inaudito abſurdo laborat. Dicat enim quo pacto futuram Miniſtri malitiam valori Sacramenti antea miniſtrati obeſſe velit, an forte eo ſenſu, ut dum re ipſa confertur ab homine in peccatum aliquando caſuro, nullum ſit atque irritum? at peccatum tunc nondum eſt, ut Sacramentum irritum faciat. An forte eo ſenſu, ut nullum tunc tantum Sacramentum eſſe incipiat, dum poſtmodum Miniſter incidit in peccatum? At jam jam effectum ſuum ſortitum erat Sacramentum: nec vim ut ita dixerim retrogadam habere peccatum poteſt, ut id irritet, quod initio integrum fuerat. Accedit alterum: futurum hominis peccatum non obeſſe, quo minus quis Deo gratus ſit, quo tempore nondum illud admiſit: uti nec futura hominis Charitas obeſt, quominus quis exoſus Deo ſit, quo tempore peccato ſordeſcit. Sic Saulus Deo exoſus erat, dum Eccleſiam perſequeretur, etſi poſtmodum vas electionis factus, Deo gratiſſimus fuerit.

Longe itaque minus futurum peccatum efficere poteſt, ut quæ quis geſſit in anteceſſum, nulla eſſent, dum gererentur.

In

In prælectione ſequenti Adverſæ partis argumentis, Deo volente, reſpondebimus.

PRÆLECTIO VII.

Adverſariorum momenta reſelluntur.

S. Cypriani cæterorumque Africæ Præſulum momenta, quibus baptiſma ab Hæreticis collatum irritum contendebant, hodierna luce confutaturus; huic me muneri prorſus imparem profiterer, niſi in hacce obeunda provincia Auguſtinum alterum Africæ jubar præmonſtratorem ac ducem haberem. Cum enim illum Africanorum Præſulum errorem, antiquatum licet, & Œcumenicorum Conciliorum Decretis obtritum, Donatiſtæ ſecutis temporibus ſuſcitaſſent, Momentaque ab iis Epiſcopis ad illius defenſionem alias excogitata, novis conatibus recudiſſent; Auguſtinus Doctor maximus Eccleſiæ cauſſæ tuendæ totus incumbens, totam illam argumentorum machinam ſuffodit, ſeptem libris de baptiſmo adverſus Donatiſtas elaboratis. Quare quod ego virium modicus atque inops tentare non auſim, Auguſtini viribus ſuccinctus aggrediar; quodque mea tenuitas ſatis nequit; Sanctiſſimi Doctoris eruditio ſuppeditabit. Ad rem itaque veniamus ad hujus erroris defenſionem.

Ipſa in primis S. Cypriani auctoritas opponi nobis poteſt, hæreticorum baptiſma irritum contendentis in Epiſtolis ad Quintum, ad Pompejum, & ad Jubajanum. Opponi perinde nobis poſſunt quatuor Synodi Carthaginenſes, nec non etiam Iconienſis, & Synadenſis; Quarum canonibus idem ille error ſancitus eſt, affidentibus Epiſcopis magni nominis, ac numero pluribus. Quæ res magnos Donatiſtis fecit animos, ut antiquatum Africanorum errorem inſtaurarent.

Reponebat ad hæc Auguſtinus *libr.* 2. *contra Creſconium Cap.* 32. Cypriani auctoritatem hoc in Capite ab Eccleſia minime probari, pro qua Sanctiſſimus Martyr ſanguinem fudit. Et quidem cum totam ab Eccleſia auctoritatem accipiant Doctores ac Patres, neceſſe profecto eſt, ut iis in Capitibus auctoritate ſua excidant, in quibus ab Eccleſia probati non ſunt. *Non crederem Evangelio*, inquiebat alias Auguſtinus, *niſi me Eccleſiæ commoneret auctoritas*: quanto minus Cypriano credendum, Eccleſia tantum non commonente, ſed prohibente? Non abſimiliter Synodis Carthaginenſibus, Iconienſi & Syodenſi reponebat, *lib.* 2. *de Bapt. Cap.* 3. illas nimirum fervente controverſia celebratas eſſe, animis in tranſverſum actis: ſed plenarii Concilii Nicæni I. auctoritate fuiſſe ſubinde reſciſſas. Accedit divi Hieronymi obſervatio *in Dialogo contra Luciferianos Cap.* 8. *Illos ipſos Epiſcopos, qui rebaptizandos hæreticos cum Cypriano ſtatuerant, ad antiquam conſuetudinem revolutos novum emiſiſſe decretum*. Perperam igitur, ea illorum Epiſcoporum ſtatuta priora in erroris patrocinium venditantur, quæ ipſimet novo ſubinde decreto reſciderunt. Nemo quippe æquus rerum eſtimator eſt, qui in eo variorum ſtatutorum conflictu non intelligat, ei demum ſtandum eſſe, quod re maturius maturius expenſa, ultimo tandem emiſſum eſt.

Jam quod attinet Africanorum Præſulum momenta, quibus præconceptum errorem tuebantur, hæc ut ſunt numero multa ad certa capita revocamus, quo facilius expediri queant atque reſolvi. Horum pars maxima a baptiſmi effectibus petebatur, qui apud Hæreticos obtineri non poſſunt. Enim vero nemo apud Hæreticos Chriſtum induit, nemo ſpiritualiter gignitur, nemo Spiritu S. donatur, nemo remiſſionem obtinet delictorum, ſalutem uno verbo nemo conſequitur. Hinc conſequens arbitrabantur Africani Præſules, ut nulla apud illos eſſent Sacramenta, quorum proprium eſt mirabiles illos effectus in ſuſcipientibus edere. Totam illam argumentorum ſtruem unica obſervatione diruit Auguſtinus *lib.* 6. *contra Donatiſtas Cap. I. Nec ob aliud*, inquit, *illis temporibus, quando iſta quæſtio contra veterem conſuetudinem diſputationibus ſalva caritate atque unitate altercantibus diſcutiebatur; viſum eſt quibuſdam etiam egregiis viris antiſtitibus Chriſti, inter quos præcipue B. Cyprianus eminebat, non eſſe poſſe apud hæreticos vel Schiſmaticos baptiſmum Chriſti, niſi quia non diſtinguebatur Sacramentum ab effectu, vel uſu Sacramenti. Et quia ejus effectus atque uſus in liberatione a peccatis, & cordis rectitudine apud hæreticos non inveniebatur, ipſum quoque Sacramentum non illic eſſe putabatur*. Certe Sacramentum ab effectibus ſecernendum eſſe, ac fine illis ſtare revera poſſe, in ipſa Eccleſia Catholica infeliciter experimur. Quot enim vero apud nos Sacramenta ſuſcipiunt, qui tamen minus æque diſpoſiti, ſalutares effectus minime percipiunt? Porro quod in Eccleſia Catholica caſu evenit, neceſſitate quadam apud hæreticos accidit; quippe cum rite diſpoſiti eſſe non poſſint, qui hæreſeos luto hærent, ſummumque omnium Gratiæ ſuſcipiendæ obicem ponant: vera nihilominus ſtant Sacramenta effectu licet ac fructu vacua. Præterquam quod varios Sacramentorum effectus ſecernere opus eſt, quoſdam a ſuſcipientium diſpoſitionibus pendulos, uti gratiam cæteraque Spiritus S. Chariſmata: atque illos quidem extra Eccleſiam recipere nemo poteſt, qui adultus ad Sacramentum accedit, ob repugnantem hæreſeos maculam: Alterum ab omni ſuſcipientium diſpoſitione ſolutum, & ex ipſa Sacramenti neceſſitate derivatum, Caracterem nimirum, certis Sacramentis proprium; cui recipiendo nulla iniquitas, nulla hæreſis obeſſe poteſt.

Pars argumentorum altera ex Eccleſiæ dotibus, & juribus petebatur: Hæc etenim, inquiebant Africæ Præſules, Sacramenta, uti propriam Dotem accepit a Chriſto; illorumque cuſtos unica conſtituta eſt. Rem igitur alieni juris hæretici ſibi arrogant, noſtramque hæreditatem invadunt, dum Sacramenta noſtra miniſtrant. Totum id ambabus manibus dabat Auguſtinus, *libr.* 3. *contra Donatiſtas Capite* 10. neque tamen inde conſequens eſſe putabat, ut nulla extra Eccleſiam, nulla apud hæreticos Sacramenta eſſent. Aliud quippe eſt non habere aliquid, aliud non jure habere, vel illicite uſurpare; Alias & conſequens eſſet, ut Sacras Scripturas hæretici non haberent, quia & has Eccleſia ſuſcepit a Chriſto, illarumque cuſtos unica conſtituta eſt. An forte, quia Philiſtæi arcam deprædati fuerant, arca non erat? Imo erat, & apud Philiſtæos prodigia patrabat, non ad ſalutem illorum, ſed ad exitium. Sit igitur ita, hæreditatem noſtram invaſerint, dum ſibi Sacramentorum miniſtrandorum auctoritatem arrogarunt; ſunt attamen Sacramenta, ubi ſemel Eccleſiaſtico ritu conferuntur. Peccent ii ob arrogata ſibi aliena jura, non diffitemur: Ob id certe pœnas dabunt, uti Dathan, & Abiron qui alienum ignem Altaribus impoſuerant. At non idcirco in caſſum abeunt Chriſti Domini inſtituta, quod ab alienis & prophanis tractentur: quodque ex ipſa ſui inſtitutione ſortita ſunt, Miniſtrorum nequitia non amittunt.

Momentum quoque ex hæreticorum notis ac titulis petebant Africæ Præſules. Ii quippe inquiebant, Antichriſti Miniſtri ſunt, Diaboli membra, Judæ diſcipuli, veritatis hoſtes, quorum ſermo ſerpit, ut cancer. Qua itaque ſorte Chriſti Sacramenta tractabunt? Hæc cæteraque id genus argu-